



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**


**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

Liber Nonus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880


 PARS III.
 HISTORIAE
 DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA
 Hæreseon Sæculi
 POST
 FLORIMVNDI RAEMVNDI
 Ætatem secuti, ex ipsis Sectariorum scriptis &
 Actis Collecta,
 APPENDIX.

LIBER NONVS
 ARGUMENTUM.


 hoc libro continuator explicat Schisma Calvinianum Ortum in Hollandia, inter Prædicantes & Doctores Reformatos quorum ex vna parte fuit Jacobus Arminius Doctor Leydenſis, ex altera vero parte Franciscus Gomarus ibidem Doctor, quorum Controversia principaliter quidem erat circa Prædestinationem Dei, consequenter tamen etiam circa alios articulos, à prædestinatione illa dependentes, aut cum ea connexionem habentes, nimirum 2. de Universitate Redemptionis Christi, an nimirum omnes homines redemerit, eis que meruerit, an aliquibus solum 3. de Gratia divinæ auxilijs & concursu cum Homine. 4. de Conversione vel Justificatione Hominis. 5. De Perseverantia Fidelium in Fide. De his enim prædicti Doctores & eorum adhærentes Sectarii contradictoria asseruerunt, scilicet in Remonstrantes qui Arminium sequebantur, & Contra-Remonstrantes qui Gomarum secuti sunt. Quid hi senserint, & quomodo se invicem oppreſſerint doctrina & vi sæculari etiam, exponetur isto libro.

INDEX CAPITUM

LIBRI NONI.

CAP. I. De Duplici sententia Calvinistarum circa prædestinationem & primo quidem eorum, qui Antelapsarij dicti sunt, quod ante lapsum Adæ prævisum, Prædestinationem à Deo factam assererent.

I. Quid statuatur Antelapsarij de prædestinatione.
II. Citantur Antelapsarij Authores & eorum verba, ut de eorum sensu non dubitetur.

CAP. II. Proponitur sententia eorum Calvinistarum, qui Sublapsarij dicti sunt, quod Dei prædestinationem absolutam post lapsum Adæ prævisum assererent.

I. Quid Sublapsarij statuatur de æterna Dei prædestinatione.
II. Quomodo quidam Calvinista sese implicant, dum volunt mediâ scilicet constituere, irritum tamē conatu.

CAP. III. Instructiones ipsorummet Calvinianorum pro antedictis duabus sententijs intelligendis & refutandis.

I. Quomodo vocem Efficaciter usurpent.
II. Quomodo permissionem definiant Calviniani.
III. Frivola eorum distinctio inter Necessitatem Infallibilitatis & Coactionis.

IV. Quomodo intelligant hominē mutabilem conditū esse.
V. Ineptas alias eorundem distinctiones esse, inter Electionem & Salvationem, & inter Reprobationem & Damnationem.

VI. Quod sub Reprobatorum nomine etiam Fidei filios comprehendant Calviniani Contra Remonstrantes, seu Gomarista.

VII. Syllabus Authorū qui de Calvinianis damnatam à Remonstrantibus tenent sententiā, & cur eam Syllabum ediderint.

CAP. IV. De Calvinianis alijs contra prædictas sententias pugnantibus, siue de Remonstrantibus aut Arminianis.

I. Sententia Remonstrantium decem Thesis exposita.
II. Declaratio harum Thesis facta per ipsos Remonstrantes A. 1619. 14. Ian.

III. Quomodo conveniant Calvinista in voce Electionis intelligenda.

IV. Quomodo iidem discrepent inter se.

V. Explicatur finaliter sententia Remonstrantium quoad prædestinationē in quatuor punctis consistēs, nempe causis, obiecto, conditionibus, discrimine electionis ad gratiam & gloriam.

VI. Remonstrantes occurrunt quibusdam dubijs, vel obiectioibus, de Fide, de Christo.

VII. Ordinem decretorum divinorum in Electione secundum suam sententiam proponunt.

VIII. Alia eorundem Controuersia.

CAP. V. Quædam Catholici omnes in his Calvinianorum sententijs desiderant.

I. In sententia contra Remonstrantium.

II. In sententia Remonstrantium, seu Armenianorum.

CAP. VI. De Confessione Belgica, & qua circa eam conveniunt.

I. Origo eius & robur.

II. Summarie proponuntur eius dogmata.

III. Errores multiplices in ea admitti.

IV. Quod hos errores ipsi Calviniani agnouerint & oppugnaverint.

V. Dei cura & providentia circa Ecclesiam Catholicam quo ad hanc litteram.

CAP. VII. De Catechismo Reformatarum Ecclesiarum seu Heidelbergensi, & quæ circa eum acciderunt.

I. Author Catechismi Palatini seu Heidelbergensis.

II. Eiusdem Synopsis.

III. Eiusdem absurda quinquaginta. quæst. & Responsione deprehensa.

IV. Similia plura ex alijs quæst. & Responsionibus excerpta.

V. Idem à Catholico festiud explosus.

CAP. VIII. Schismatis inter Calvinianos Remonstrantes & contra Remonstrantes orti, initium & decursus, A. 1567. ad A. 1610.

I. Initia Schismatis Calviniani inter Remonstrantes & contra Remonstrantes.

II. Progressus eiusdem ab A. 1605. ad 1609.

III. Acta ab A. 1609. ad Annū 1618. quo indictum est Consilium Calvinianū vel Synodus Doradrechtana pro sopiendis schismate.

IV. Doradrechtana synodi Acta.

V. Secuta post synodum Doradrechtanam.

LIBER IX.

De duplici sententia Calvinianorum seu Reformatorum circa prædestinationem, & primo quidem eorum, qui Antelapsarij dicti sunt, quod ante lapsum Adami prævisum, prædestinationem à Deo factam assererent.

CAP. I.

I. Quid statuatur Antelapsarij Calviniani de Prædestinatione Dei circa Homines.

II. Citantur Authores Antelapsarij, & eorum verba, ut de eorum sensu non possit dubitari.

I. Una est sententia Calvinianorum quæ statuit Deum Opt. Max. ab æterno antequam homines illos creare constituit, aut eos ut creatos velin-
 pec.

peccatū lapsos considerasset, voluisse cetros quosdam nominatim eligere, & vitā æternæ destinare, vt ostenderet se liberrimè gratiosum esse: Multo vero maximam hominum partem, nullo merito aut culpa eorum, æterno exitio & eluctabili miseræ addicere, vt ostenderet se iratum, potentem justam, id est liberrime seuerum esse. Hæc prima sententia est, quam vt clarius explicemus, diligenter attendendum venit, ecquis iuxta hanc sententiam tum in Electionis, tum in reprobationis Decreto ordo & concatenatio inter actus diuinos sibi inuicem succenturiatos ab ijs statuatur.

Ac initio quidem duo principalia Decreta ante omnia consideranda veniunt, quæ sententiarum harum fundamenta sunt, decretum scilicet Electionis ad vitam & reprobationis ad exitium faciendæ, quod appellant Decretum de fine, quod scilicet Deus constituit paucos quosdam absoluta voluntate vitæ æternæ, contra vero plurimos æterno exitio destinare atque addicere, idque ad laudem & gloriam tum misericordiæ suæ, tum seueritatis liberrimæ. Deinde Decretum Electionis & Reprobationis, quæ iam facta est, exequendæ, id est, procurandi vt electi per certam quædam media ad finem illum suum, id est, vitam æternam: Reprobi id est, multo maxima humani generis pars ad æternum exitium & ineluctabilem atque ineffabilem miseriam, vt potest ad finem ipsis destinatum, perducantur, quod appellant Decretum de medijs.

II. Non diffitemur quidem esse, qui vtrumque hoc decretum confundere & in vnum compingere studeant, sed quia nullo iudicio aut ratione adducti id faciunt, magno opere curandi non sunt. Latibulum enim, & effugium potius quærunt eiusmodi Doctores, quam veritatis nudam atque apertam declarationem.

Hoc itaque fundamento strato in hunc modum decreta diuina ordinant.

Primo statuunt, Deum Opt. Max. quod sapientissimum artificem decet, de fine vltimo & architectonico, in quem omnia dirigerentur & desinerent apud se cogitasse.

Finem autem hunc statuunt fuisse gloriam Dei, siue potius gloriæ diuinæ declarationem.

Quia verò hæc in declaratione proprietatum Dei excellentissimarum sita est, proprietates autem gloriosæ non nisi operibus & actibus gloriosis elucescere & exeri queant, necessarium fuisse dicunt, vt Deus opera illa faceret, in quibus veluti in speculo proprietatum illarum excellentia representaretur & patefieret.

Inter proprietates autem diuinas quia excellentissimæ, & tantum non extremæ atque vltimæ sunt duæ, Misericordia & Iustitia (quæ alij libertatis voce simpliciter, alij dominij & iuris absoluti terminis enunciare solent) necessum fuisse statuunt, vt duo illis proprietatibus consentanea opera fierent: Saluatio scilicet & perditio, siue Relectio; idque eo etiam siue, vt ne vniuersum alioquin imperfectum foret. i. vt ne decissent in vniuerso ad perfectionem & ornatum eius miseri simul ac felices, id est, alij, qui æternis cruciatibus infernalibus plecterentur, alij qui beati essent.

II. Hinc sunt illa Theologorū taliū pronunciata,

Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed alij vitam æternam, alij damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus. Calu. lib. 3. Inst. cap. 21. n. 5.

Ecce cum rerum omnium dispositio in manu Dei sit, cum penes ipsum resideat salutis ac mortis arbitrium, consilio nutuque suo ita ordinat, vt inter homines ita nascantur ab vtero certa morti deuoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent. Cal. lib. 3. Inst. c. 23. n. 6.

Deus fecit æternum & immutabile Decretum, quo certos aliquos homines mera gratia ad vitam æternam quosdam vero iusto iudicio ad æternam damnationem destinaret, vt in illis misericordia, in his vero iustitiā suam declararet. Hunc finem cum Deus in Creatione hominis propositum sibi habuisset, necesse fuit eum etiam cogitare de via & ratione, quam ad illum finem peruenire potuerit, vt eius misericordia pariter & iustitia manifestaretur. Beza in Colloq. Mompel. pag. 523.

Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quia ipsi ita placet, neque etiā in alijs reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem. Calu. lib. 3. Inst. ca. 22. n. 3.

Quem ipsi libuit, ex mera sua voluntate ab æterno nulla vllius ipsorū indignitatis habita ratione odio & exitio destinauit. Beza de Præd. doctrina & vsu p. 147. 71.

Necessario quoque statuendū est. Ab ipso destinari odio & exitio quoscumque ipsi libuit, nullo ipsorum improbitatis, quod ad aliud decernendum attinet, habito respectu. Beza de Præd. doctrina & c. pag. 71.

Quod si nos homines in quotidiana bestiarū maculatione utimur nostro arbitrio, neque iniusti aut dicimus aut vera sumus. si hodie hūc bouē maclemus, alterū nō maclemus, quanto magis his Deo suū relinquendū arbitrium & ab-

Et absolutum decretum in homines, qui Dei respectu non sunt tanti, quanti hominibus culex aut pulex, Kecker. in Syst. Theol. pag. 309. Colloq. Mompel. pag. 523. Beza vol. 1. fol. 190.

Misericordia verò & iustitia declarari non poterant, nisi crearentur aliqui & in statu tali collocarentur, in quo misericordia opus haberent, & punitiois diuinæ obiecta fierent.

Hinc enim sunt illa effata.

¶ Cum iustitia præsupponat culpam, sine qua iustitia exerceri non potest (ubi enim non est culpa, ibi neq. pœna locum habet) ideo hominem ita creari oportuit, ut servata natura aptus esset, quo Deus iustitiam declarare posset: iustitiam enim suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad æternam damnationem destinasset. Piscator contra Schaf. thes. 22.

Cum Dominus ijs causis adductus, quas ipse solus novit, proposuisset eos (reprobos) in hunc finem creare, ut in ipsis iram & potentiam suam ostenderet simul eas causas gradatim ordinavit. Festus Homius in notis Belg. ad Catech. fol. 216.

Falsum est, Deum totum genus humanum non alio quam salvationis sine creasse.

Creatio reproborum est fructus reprobationis. Piscator in Resp. ad Apol. Bertij pag. 130.

Miseria autem homines fieri non poterant, nisi per peccatum; quia miseria pœnæ rationem habet, quæ culpam sibi semper præcedaneam habet.

Peccare non poterant, nisi intellectu & libera voluntate, alijsque donis ad peccatum evitandum necessarijs instructerentur, certamque legem acciperent, cuius transgressio solum peccatum est.

Iraque de his omnibus totidem decreta fieri necessarium fuit. Decretum sc. de creando homine eundemque omnibus necessarijs ad peccatum non perpetrandum instruendo, & de lege eidem ferenda, citra quam peccatum dari non poterat.

Hinc sunt illa axiomata:

Qui vult finem, is necessario etiam vult media, quæ ad finem consequendum necessaria sunt. Ad patefactionem autem misericordis & iustitiam in peccato condonando & puniendo necessarium est peccatum. Piscat. in Resp. ad Apolog. Bertij pag. 130.

Item. Deus ideo homini mandatum dedit, ut illud transgrediretur homo, atq. ipse hoc modo occasionem nancisceretur puniendi ipsum. Ibid. pag. 64.

Deus in primis duobus hominibus operatus est, i. creavit reliquos omnes sed diverso fine, alios quidem, ut essent vasa misericordis, alia ut essent vasa iræ. Ut autem ad utrumq. illum finem pervenire posset, permisit omnes in

peccatum labi; proinde etiam ad peccatum utrosq. condidit; quippe sine quo ad fines illos pervenire non potuisset. Piscat. contra Hemming de Gratia Dei pag. 76.

Item. Si Deus operatus est, impium ad pœnam sequitur quod eundem etiam operatus sit ad peccatum: quia nisi peccatum præcessisset, pœnam ei iuste infligere non posset. Ibid.

At ut ne hic sine suo frustraretur Deus, eo quod libertate homini concessa; quæ fieri poterat, ut vel peccaret vel non peccaret si veller, incerta erat peccati futuritio, necessarium fuisse statuunt, ut novum Decretum fieret, quo posito non posset non peccare homo: i. decretum vel efficiens sive potenter determinans voluntatem ad unam tantum partem arcano impulsu & motione; vel permissivum, quo gratia ad peccatum evitandum necessaria homini vel subtraheretur vel non continuaretur, sed ipse homo sibi & suæ naturæ relinqueretur, ruinosa domus instar, quæ, si fulcra & tubicines sustentandæ ei desint, mole & pondere deinde suo corruat necesse est. Hoc enim pacto permittendi verbû usurpare auctores solent. Hoc decreto posito peccare hominem necesse erat, & diuinæ misericordis atque iustitiæ obiectum fieri.

Hinc sunt illa pronuntiata.

Deus malos fecit i. creavit in Adamo; bonos quidem & integros, quippe ad imaginem ipsius factos, voluntates ut mali fieri possent, & hoc consilio ut mali fierent. Piscat. in Resp. ad Apol. Bertij pag. 87.

Ad peccatum tamen, ut peccatum, quatenus ex eo gloria Dei bonitate ipsius Dei illustranda erat, tam electi quam reprobi fuerunt præordinati. Zanch. de Nat. Dei pag. 722. in fol.

Deus hoc consilio condidit hominem ut reipsa laberetur; quippe cum non nisi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales. Contra Schafm. Thes. 33. pag. 29.

Falsum est, Deum non habere opus peccatore: opus eo habet ad patefaciendam gloriam. Ibidem pag. 81.

Impossibile est ut Deus alia via ad finem sibi propositum perveniret. Piscator in Resp. ad Apol. Bertij pag. 44.

Quamquam in peccato Adami illud factum est, quod ex decreto Dei fore constitutum erat: tamen ipsum Decretum Dei non fuit Adamo cognitum, nempe Deum velle ut ipse peccaret. Danaus in Isagog. pag. 149.

Deus etiam ipsum primi hominis lapsum ordinavit & fieri decrevit, & quidem ab æterno, quem admodum & ipsam homo creationem ab æterno decrevit. Ibidem pag. 144.

Sed

Sed nec satis erat ut hoc decretum fieret alterū accedere debebat, ut homo ille primus non profertant peccaret, sed in illo totum genus humanum: neque id tantum, sed ut ita peccaret, ut ex eo peccatum aliud fluere; quo ipso rursus ad pœnam oligarentur æternam omnes & singuli, qui unquam fuerunt, sunt, aut erunt homines, Iesu Christo excepto, & deinde inepti ad omne bonū atque ad omne malum necessario proclives & propensi redderentur.

Hinc enim sunt illa: Iterum quaro, Vnde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia ita Deo visum fuit?

Decretum quidem horribile fatetur, infitiri tamen nemo poterit, quin præstiterit Deus quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum conderet; & ideo præstiterit quia decreto suo sic ordinauerat.

Item: Fateatur factum fuisse Dei cōsilio ac volūate ut Adamus lapsus sit, & ut nos omnes in hanc conditionis miseriam, qua nunc sumus irretiti decideremus. Calv. inst. lib. 3. cap. 21. n. 7.

Ex huiusmodi misero & in peccatum lapsō homine voluit Deus profeminari tū eos quos elegerat, tum eos quos reprobaverat. Ac de Electis quidem decretum fieri oportuit, ut ex statu illo misero eriperentur: itaque quia iustitia divina læsa erat per peccatū, decretū factū est, ut illis solis mediator & Redemptor cōcederetur, qui pro ipsis satisfaceret, & pœnas peccato debitas persolveret. 2. Per & propter quem illi soli remissionem peccatorum, vitam æternam & Spiritum sanctificationis consequerentur contra peccatum damnationem tum dominium. 3. Qui fide vera illos virtute & efficacia interna donaret, qua peccata iā ante remissa esse sibi firmiter persuaderent. 4. Qui illos in fide illa per omne vitæ tempus ita conservaret, ut licet in medijs peccatorum, scelerum ac flagitiorū atrocissimorum sordibus viverent contra conscientiam suam, nihilominus tamen in favore & gratia sua retineret, & vel in ipso extremæ vitæ articulo ad pœnitentiam reduceret, sibi que secundum Electionis suæ Decretum ad misericordiæ suæ gloriam salvandos susteret.

Hinc illa pronuntiata:

Æterna Electionis arbitrio sit, quod quibusdam Evangelii vitæ prædicetur, & apud illos locum reperit: apud alios vero non prædicatur aut prædicatum non admittitur. Polanus de Præd. pag. 59

Ex hac Electione principaliter fluit quis crediturus sit, quis nō sit, quis absolvetur, quis nō. Zepper de Præd. pag. 6.

Electi fideles certo statuant à Deo Patre sibi imputant

esse satisfactionē Christi in remissionē peccatorum, hoc est Deum Patrem ipsa omnia peccata remississe, scilicet antequam crederent. Textor in volumine altero.

Cur non dat gloriam Deo & ingenuè affirmat principem fidei causam esse ipsam Electionem. Itemque principem incredulitatis causam esse Reprobationem? Piscator contra Schafm. pag. 86.

Hinc sequitur, idcirco studere Electos omnibus operibus bonis, quia sunt non minus ad media, quam ad finem prædestinati. Piscator contra Schaf. pag. 86.

Deus non rejicit suos ob quicquam eorum qua faciunt. Sturmus de Prædest. pag. 25.

Item, Deus ex æterno amore, misericordiā & gratia sua omnia Electorum præterita, præsentia & futura peccata in Christo tegit, condonat, reges ac condonabit. Smout in suo Scripturali va. &c. fol. 77.

Fideles sæpenumero & horribiliter se peccatis contra Deum & legem ipsius polluant, quin imo in idololatriam, superstitionem, falsam doctrinam, hæresin, altercationes, Christi abnegationem, securitatem, Assidenciam, licentiam, viuendi, superbiam, rebellionem, homicidium, adulterium, prodicionem, aliisque similia prolabantur &c. Smout, in Pater noster fol. 56

Nihilominus tamen credimus & hisce non obstantibus persuasum habemus nos nec totaliter nec finaliter excidere, nec excidere posse ex paterno amore & gratia Dei erga nos. Smout in suo Pater Noster quod Synodo inscripte fol. 53. 54. 55.

Reprobatos vero, qui multo maximam mundi partem constituunt, quod attingit, ex eodem Adamo nasci illos voluit Deus, ut iustitiam suam, id est, severitatem liberrimam in illis manifestaret. Vnde necessum fuit, ut in lapsu illo relinqueretur, ac proinde 2. ut Christus Mediator illis non daretur, qui pro ipsis mortem subiret, aut apud Deum intercederet, ea que propter vel in infantia sua morerentur sine vlla veniæ spe, tam qui ex fidelibus, quam qui ex infidelibus parentibus nascituri erant; vel si adolecerent, ut gratia ad salutem necessaria & sufficiens illis non concederetur, sed si qua daretur aliquando, sola inefficax tantum & per se insufficientis gratia offerretur, cuius auxilio neque velent neque possent obedire Deo vocanti, 4. cuius tamen rejectione incredulitatis & maioris pœnæ rei fierent, 5. ut porro defectu huius gratiæ & occasione mandatorum, quibus non possent non oblectari, ruerent in omne genus peccatorum, blasphemiarum, hæresium &c. aut si quando gratiæ allicuius communioris beneficio viterius paululum ad cognitionem veritatis, ad gaudium aliquod & gustum

gustū divīnæ gratiæ provehētur, id ipsū nō tantū non prodesse ipsorum salutī, sed ad majorē ipsorū condemnationē faceret, donec tandē, fatali & inevitabili peccatorū mole obruti, Deo occasionem præbeant discretā antea justitiam sive severitatē in illos exercendi, atq; ita in æterna ipsorū & ineluctabili damnatione gloriam suam illustrandi.

Hinc sunt illa Doctorum placita:

Ut prævisa sanctorum fides ac opera bona non fuerunt electionis eorum, sic prævisa impiorū infidelitas, aut alia peccata minimē fuerūt causa cur à Deo fuerint reprobati, sed sicut illos elegit in Christo secundum proprium voluntatis suæ, sic hos reprobavit secundum idem propositū voluntatis suæ. Zanchius de Nat. Dei. pag. 711.

Errant qui putant Prædestinationem pendere à prævisis operibus, vel à prævisa fide aut incredulitate. Imo hæc omnia Prædestinationis effecta sunt. Piscat in Analysi Epist. ad Rom. ad vers. 11. 12. 13. c. 9.

Pro Reprobis nullo modo mortuus est Christus, sive sufficiens, sive efficaciter. Piscator contra Schafm. pag. 123.

Hinc sequitur idcirco studere electos omnibus operibus bonis, quia sunt non minus ad mediā quam ad finem prædestinati. Reprobos verò omnem conatum bene agendi omittere, quia sunt reiecti ab hac gratia mediatorum non minus quam à fine ipso. Sturmius de Præd. pag. 23.

Quos Deus in vitæ contumeliā & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent & severitatis exempla, eos ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbis sui facultate privat, nunc eius prædicatione magis obstupescit, & indurat. Calvin. Inst. lib. 3. cap. 24. n. 12.

Salvā pietate licet dicere, Reprobos idē non respicere, nec credere, nec legi Dei servanda studere, quia ad nihil horum prædestinati fuerunt. Piscat 3. Thes. volum. pag. 314.

Reprobationis effecta sunt. 1. defectio seu privatio mediatorum ad salutem consequendam ordinatorum, exceptā in nonnullis vocatione externā. 2. Excacatio & induratio, ac proinde perseverantia in peccatis. 3. Suscitatio ad iudicium. Ep. Zanch. Miscell. pag. 311.

Non est impium dicere, Reprobos idē opera quæ in ipsis reprobis mala sunt facere, quia ad ea faciendā fuerunt prædestinati. Ibidem Zanch. in Miscell. pag. 112.

Verum est, reprobos à Deo esse quoq; ordinatoros ab æterno ut non crederent, sed ut indurarentur, ut peccarent idque ex ipsius beneplacito, & ut in vasis iræ suæ iustitiā iustis ostenderet Deus. apparere ex variis Scripturæ locis. Danaus in Isaac. 4. part. li. 3. cap. 193.

Deum operari omnia in omnibus, non tantum in pijs, sed etiam in impijs. Zanch. in Misc. 428.

Qui sunt omnium infelicissimi altius etiam ascendunt, ut gravius ruant. Huc enim cuiusdam gratia munere provebuntur, ut etiam aliquatenus commoveantur ad donū celeste degustandū, adeo ut ad tempus recepto semine videantur in Ecclesia Dei plantati, atq; etiam iter ad salutem aliis ostendant. Sed hoc constat, Spiritū illum adoptionis quē propriū esse diximus illorū qui nunquam exciuntur foras, quis; in arcano populi Dei perscripti sunt, numquam cum illis communicari. Ep. Beza in Cyclopaedia sua pag. 192.

Hic proprius est ordo decretorum divinatorum, quem auctores primæ sententiæ statuunt.

Proponitur sententia eorum Calvinianorum, qui Sublapsarij dicti sunt, quod Dei prædestinationem absolutam circa homines post lapsum Adami prævisum ordinariat.

CAP. II.

I. Quid Sublapsarij Calvinista statuunt de æterna Dei prædestinatione.

II. Quomodo quidam Calvinista sese implicent, dū volunt mediā salutis constituere irritum tamen conatu.

I. Altera sententia est eorum, qui Electionis & Reprobationis divina obiectum statuunt ellegit genus humanū in mente divinā consideratū ut in Adamo lapsū, id est, peccatū, ac propterea æternæ condemnationi ob peccatū illud primū obnoxium, ex quo certas quoddā singulares personas nominatim ad salutē à Deo puro meritoq; voluntatis ipsius beneplacito, nulla ratione habita respicientiā, fidei aut obedientiæ, selectas esse dicunt ac segregatas, paulatimq; per varia media, sive per potentiam sive per sapientiā administratā ad finē destinationum certō & inevitabiliter perducit ac promovet eodē planē modo atq; ordine, quē sententiā prior habet.

Reprobatos & attinet, circa illos hunc decretorū ordinē instituūt, qui tamen eū primō coincidit. 1. Ut iustitiam, id est, iustitiam & severitatem suam contra illos manifestaret Deus, decrevit ut in statu isto peccati relinquerentur, & nec à damnatione nec à dominio peccati unquam liberarentur.

2. Quod Deus, ut Christi mors & satisfactio toti mundo redimendo sufficiat, nolit tamē ut vlla ratione ijs, quos æterno exitio destinavit proficiat aut proficiat, sed expressē contrarium velit.

3. Quod ijs nolit gratiam vllam vel salutarem, vel ad salutem sufficientem concedere ac largiri.

4. Quod vocari tantum velit illos ad gratiā per vocationem externā cui non possunt non reluctari.

5. Quod

5 Quod id sæpe fieri velit ut tantò magis excen-
centur, indigneatur, & gravioribus, ac pluribus
proinde criminibus implicentur.

6 Quod illuminare aliquando quidè eos aliquà
cognitione velit, imò gaudio & læticia aliqua,
adeoque persuasione tali imbui sinat, quæ non mi-
nus persuadent sibi se electos esse, quam electi ipsi
sed eo tantum sine, ut excusatio ipsis adimatur,
quod nescierint quid fieri se oporteat, vel ut de
impotentia sua nullo fructu convincantur, & tan-
dem in sublime erecti, lapsu graviore in æternor-
um cruciatum Barathrum præcipitentur &
ruant. Breviter, tam insufficienti gratia donare, ut
necessarium planè sit illos in peccatis manere, in-
credulos fieri, eaque facere, per quæ gravissimos
illos, & inenarrabiles æterni ignis cruciatus, ad
hoc, ut ne imperfectum, relinquatur univèrsum,
miseri in caput suum accersant.

Hic est secundus decretorum divinatorum ordo,
quem secundæ sententiæ auctores, qui sublapsarij
dici solent, passim aut ipsi statuunt in scriptis suis,
aut secundum hypothesès & fundamenta sua sta-
tuere necesse habent.

II Sunt qui alium quandam ordinem decreto-
rum divinatorum ex hypothetica & conditionata
Dei præscientia delumere solent, ne in absurda illa
manifesta incidant: sed quia necessum est ut ij vel
in Arminianam seu Remonstrantium sententiam
iaviti recidant, vel in alteram duarum supradicta-
rum relabantur, operæ pretium non iudicavimus
pluribus eorum sententiã examinare & exponere.

Instructiones ipsorum Calvinianorum pro ante-
memoratis duabus sententijs Fratrum suo-
rum intelligendis & refutandis.

CAP. III.

- I. Quomodo vocem efficaciter usurpent.
- II. Quomodo permissionem Dei definiant.
- III. Frivolam eorum esse distinctionem, inter necessi-
tatem infallibilitatis, & Coactionis.
- IV. Quomodo intelligant hominem mutabilem esse
conditum.
- V. Ineptas esse eorundem alias distinctiones, inter
Electionem, & saluationem; ac inter Reproba-
tionem & Damnationem.
- VI. Quod Calvinista Contra Remonstrantes sub Re-
proborum nomine etiam filios Fidelium non ad-
ultos comprehendant.
- VII. Syllabus Authorũ & verborũ ex iis excerptorũ, qui-

bus Calvinianorũ pars de prædestinatione senten-
tiã à Remonstrantibus damnatam profertur.

I. Ad supradictas duas sententias rectius intelli-
gendas nonnulla añotanda sunt, quæ maiorè
lucè desiderant, propter tenebras, quibus à noñul-
lis ex non ita nuper involutæ sunt & obscuratæ.

II. Ac primùm quidè eum Art. 2. mentio sit me-
diorũ, quæ per eum Electi tum reprobi efficaciter
atq; inevitabiliter perducantur, notandũ est, vocè
Efficaciter generaliter accipi solere ab auctõribus
sententiæ illius, prout non tantummodò decretum
effectivũ, sed etiã permissivũ sub se complectitur.
Tam enim permissivum decretũ efficax illis dici-
tur quàm effectivum: nõ quòd permissio propriè
efficientiã aliquam aut importet, aut significet in
ordine ad effectũ vel eventum; sed quòd ea posita
non minus necesse sit eventũ existere, quàm si per
veram & realè aliquam efficientiã perduceretur.

II. Permissio enim illis nõ est impedimentorũ,
quæ efficaciter eventum inhibitura essent, suspen-
sio: hac enim posita manet adhuc voluntas inde-
terminata & indifferens ad alterum oppositorum,
neq; ulla peccati futuritio necessariò sequitur; sed
permissio illis est vel subtractio, vel nõ datio, vel
nõ continuatio illius siue gratiæ, siue influxus siue
potentiæ, qua posita nõ potest non fieri, ut homo
peccet. Eodè prorsus modo quo permissione posita,
ut lapis naturã suã gravis, manu alicuius antea
sustentatus in sublimi deorsum cadat, fieri nõ po-
test, qui lapis ex alto decidat, non quòd permissio
illa propriè efficiat, aut vim aliquã lapidi imprì-
mat, ut cadere eũ necesse sit, sed quòd lapis naturã
sua gravis, sublato impedimento, pondere suo na-
turali deorsum vergat. Eadem ratione hominẽ la-
bi necesse fuit posita hac permissione, non quòd
permittendo efficietur lapsus, sed quòd permis-
sione posita homo sibi & suæ naturæ relictus non
possit nõ peccare. Quæ causa etiã est, cur decretũ
hoc divinũ de permittendo lapsu efficax dicatur ab
ijs, etsi nõ effectivũ: ac proinde nõ minus inevita-
bile sit quã si effectivum esset. Id quod propterea
etiã necesse habet dicere, quia alioqui concipi nõ
posset, qua ratione absoluto decreto Electionis &
Reprobationis subordinetur Decretum de per-
mittendo lapsu, cum hoc ipsum infallibile mediũ
non foret exequendi Decretum illud; idque pro-
pterea, quòd posita permissione libertas homi-
ni salva relinquatur, ita ut possit non peccare;
Quia verò causa deficiens in necessarijs ad cau-
sam efficientem reducitur, hinc est, quòd alij

non vereantur asserere, Deum positivè subtraxisse homini gratiam, sicut, cum quis fulera & columnas domui sustentanda positas subducit, unde domus casum & ruinam sequi necesse est: alij vero dissentè affirment, Deum voluisse ut homo laberetur: alij ex decreto Dei arcano lapsum, alij necessariò peccasse, alij ordinatione Dei factum ut laberetur, asserant. Quæ omnia etsi phrasibus aliquo modo discriminari videantur, re ipsa tamè in idè recidunt.

III. Ex quo fundamento facile apparet. I. Distinctionè illà necessitatis in necessitatè coactionis & necessitatè infallibilitatis, eo quo ab auctoribus his usurpatur sensu, aut nullà prorsus, aut admodum frivolam esse; cū præterquã quod infallibilitas menti propriè, nõ rei aut tati competat, utraq; necessitas in infallibilitatis, quã coactionis antecedens sit, ac proinde cū libertate consistere nullo modo possit. Etsi verò infallibiliter dici possit evenire vel eventurum aliquid ex aliquo, quod ex eo tamen tanquã causa per vim aut pondus aliquod impressum agere, non proficiscitur, sed tantum quod ad positionem eius non potest non existere, tamen id ipsum abundè sufficit ad hoc, ut non minus necessariò tale quid evenire dicendum sit, quam quod per coactionem aut vim efficitur. Non enim tantum vis aut impulsus violentus tollit libertatem, sed quilibet ad cuius positionem, effectum, vel eventum existere necesse est, etiamsi nulla accedat ad eventum producendum vis aut efficiencia: quæ res si bene attendatur, magnã in hoc negotio rotolucè adferre potest, & non obscure demonstrare multos eorum, qui Prædestinationem in lapsu tantum admittere velle videntur, utraque ire non audènt, nullo prorsus iudicio id facere, & in eodem cum alijs Supralapsarijs luto hære.

IV. Ex hoc sequitur nullo prorsus fundamento niti, quod auctores huiusce sententiæ hominem liberè tamen peccasse ex parte sua asserant, cum posita istà permissione nõ posset non peccare, i. in potestare hominis non esset à peccando abstinere: Et hac ratione, si quis penitè eorū sententiã perspicere velit, videtur accipiendū, cū dicunt hominè mutabilem cõditū fuisse, i. nõ quod posita permissione mutare posset libere se ipsum homo interno & proprio motu suo à statu illo in quo erat, sed quod ex statu in quo erat, excidere & sic mutari eum non tam possibile quã necesse foret. Quod quidam observantes dicere malunt, ideo Adamum libere peccasse, quia cum voluptate, cum gaudio, sive libenter legem transgressus est: quæ definitio libertatis si obtinere

debeat, iam summè necessaria summè libera erunt.

V. Ineptam esse distinctionem illam, qua inter Electionem & salvationem, inter reprobationem absolutam ad exitum æternum, & damnationem ad æternum exitum ut pœnã, tanquã inter actus dominij & iudicij distinguitur: cum posito absoluto Electionis ad vitam æternã, sive salvandi decreto, salvatio tanquã actus iudiciarius, sive actus, quo salus tanquã præmium aliquid cõferitur, succedere nullo modo possit, quia hæc ratione finè suum primò intentū plenariè nõ consequeretur Deus, puta laudè absolutæ misericordiæ & gratiæ. Deinde cū præmiū non conferatur nisi sub conditione officij liberè præstandi, sine suo frustrari posset Deus; aut si frustrari non posset, eo quod ipse efficere decernat in homine quod ab eo postulat, tū conferre hominì vitã sub ratione præmij promissi nequeat. Deniq; quia posito absoluto reprobationis decreto damnationem tanquã reprobationis finem, vel ut alij, necessariò consequens existere necesse est; id quod interveniente tali permissione peccati, qualis supra annotata est. Vbi autè necessaria est ex vi decreti primi peccati, & proinde damnationis futuritio, ibi damnatio tanquã actus iudiciarius locum habere nequit. Quod enim necessariò nulla præcedente culpa sit, id culpæ rationem habere nequit; ac proinde quæ sequitur puniatio iusti iudicij nomen non meretur.

VI. Ex decretorum coordinatione apparet, quã ratione rectè dicatur, ab illis statui Deum creasse maximam generis humani partem, non tantum ad exitum, sed etiam ad damnationem. Etsi enim finis primus non sit damnare per modum iudicij, tamè damnatio est effectū vel consequens potius aliquod ex intentione primi finis & decreti subsequents necessariò fluens. Certissimū autè est eum, què ex hypothesi decreti primi incidere in damnationem necesse est, ne se decretū frustra factū fuerit nõ minus ad dånationem creatū esse quã ad exitum, & nõ tanquã ad finem, saltè tanquã ad necessariū consequens. Quare observatã multi non minimè nota DD. à locutione hac se non abhorere in scriptis suis palam facere non erubuerunt.

VII. Sub reprobatorum horum numero completi solent. Contra Rem. nõ tantum adultos omnes gentiles, incredulos, & eorū piosq; tenellos & vix dū natos liberos, quos æternis cruciatibus ad laudem divinæ severitatis, etiã ante rationis usum ex hac vita discedentes, destinatos esse affirmant: sed non paucos etiã fidelium liberos à sanguine materno ad-

huc

huc calentes, tenellas illas animas vix dū in lucem editas, tanq̄ si idēd nascerētur vt æternū miserī forent, & in enariabilibus cruciatibus animo & corpore torquerētur ad gloriā Dei. Quæ res etiāsi duratq; horrida videatur, ac proinde etiā à quibusdā Cōtra Rem. subinde negari aut in crustari mitū in modū soleat, tamen ita plana ac certa est, vt qui hac in re hzētant, non tā iudicio ac ratione certa adducantur, quā solo metu, ne vid. hæc vna palpabilis crudelitas fidē illis omnē atq; existimationē adimat. apud Matres familias, aliosq; quibus liberorū suorum salus tenerrimē cura ac cordi est.

Vt appareat verum esse quod dicimus, videatur tantūmodo locus D. Paræi de Amissione Gratia: & statū peccati contra Bellarū lib. 6. pag. 891.

Nec Zuuingliū, nec Calvinū, nec quisquam nostrū indefinēd omnes infantes sine Baptismo vel in utero matris, vel in partu, vel dū ad Baptismū gestantur, de cædētes in cælo cū beatū collocāt, sed de solis infantibus Ecclesiæ in fœdere natis, si morte præueniantur, canone charitatis ita pronuntiant ex singulari privilegio promissionis, parentibus & liberis facta in fœdere, Ero Deus tuus & seminis tui: Saluā tamē Electione Dei, qua vt olim in Abrahami & Isaaci familia, ita deinceps in fidelīū liberū saepe discrimen fecit ac facit, nobis nec scrutandum nec sugillandū, sed adorandū. Rom. 9. 11. Hæc est nostra & nostrorū DD. constans hac quæstione sententia.

Verū quidē est, aliud quid de infantibus fidelīū, quā in infidelīū dicere velle videtur Paræus, sed si verba propius introspicias, idē planē dicere iudicandus est: Canonis enim caritatis mentionem cum facit, indicat nō obscure certā fidē tenendum non esse, q̄ de fidelīū liberis ait, sed ex charitate tantū statuendū, quæ non raro fallitur; & sub hoc velo multi latere hæcenus studuerant, sed frustrā. Dū enim iudicij huius ex caritate profecti fundamentum allegant, promissionē divinā adferre solent, vt & hoc loco D. Paræus: at promissio non est iudicij charitatis, sed fidē certissimæ & indubie fundamentū. Deinde cum saluā manere vult Electionē, iterū ostendit, quā ratione verba sua intelligi veli. Et sanē si fundamentum eorum videatur, nullā causā est, cur de infantibus fidelīū in infantia morientibus aliter statuatur, quā de cæteris reprobis, cum reprobatio facta sit ex genere quidem humano lapsa, vt quidā volunt, sed absq; vilo respectu in peccatū tanquā in causam meritoria aut impulsivā Reprobationis. Id si verū sit, cur maiore infantū ex fidelibus natorū cōmiseratione quā aliorū reproborū & ex infidelibus natorum, duci

velle, aut ductū Deum esse asserunt? Si quis dicat actualia peccata deinde intervenire in adultis, per quæ reos se ipsos condemnationis faciunt: & dēdetur ex ipsorū principijs. 1. Id in liberis eorum in infantia morientibus locum non habere. 2. Eadem peccata esse vel effecta vel consequentia saltem Reprobationis necessaria & evitabilia, ac proinde per ea condemnationis reos fieri non posse.

Si dicant promissū extare divinū, *Ero Deus tuus & seminis tui*: Reperi poterit, promissū illud ad infantes in infantia morientes non restringi, sed ad omnes quatenus ex Abrahamo nascituri erant extendi, ac proinde si id generatim accipere velint, ad omnes omnino fœderatos infantes referendum esse. Quod si admittant: Sequetur alterutrū necessariō: Aut omnes infantes fidelium, siue moriantur, siue non moriantur, saluandos esse. Aut fieri posse, vt ij, qui semel electi fuerunt ex gratiā Electionis excedant: Vtrum tetigerint, vlcus erit.

Accedit, quod infantes fidelīū qua tales baptizentur. 1. signo fœderis obfignentur, nullā habitā ratione eius an supervicturi sint necne, idq; ex hoc maxime fundamento, quod res signata ipsīs verē competat. Vnde firmiter concluditur, statuendū necessariō esse aut infantes omnes fidelīū baptizatos saluatum iri, aut si non saluandi sint omnes, fieri posse vt ij, quibus remissio peccatorum semel obtigit, eadē deinde rursus in totū & finaliter priuentur. Aut si neutrū dicatur, affirmandum erit infantibus fidelīū omnibus ac singulis rē signatā non competere, sed esse inter eos, qui electi sint, & qui reprobi, ac proinde omnes quotquot baptizantur hac conditione baptizandos esse, si electi sint: per consequens electionē & reprobationē in illis quā talibus locū habere debere. Id quod certissimum esse cum intelligerent Argentinensis Ecclesiæ Ministri, monitos conciosatores omnes suos voluerunt in Confessione Argentinensis Ecclesiæ Anni 1539. cui subscripserunt Bucerus, Capito, Hedio & reliqui ministri, vt neminem baptizarent nisi hac particulā vel expressa vel subintellecta, *Ego, o Deus hunc baptizo secundū Electionem & propositum divina voluntatis tuæ*. Vide Artic. 18. Quod deinde de secutus sententiæ huius ingenuus professor Zanchius, sub eadē hac conditione, *si electi sint, vel expressa, vel subintellecta baptizari infantes fidelīū asseruit.*

Hæc Remonstrantes pag. 23. usq; ad 45. A. C. orū suorum parte secundā Harderovici A. 1620. in 4. editorū quibus visum est apponere & subnectere syllabū omnīū eorū testimoniorū, ex quibus su-

gula totius huius articuli, de predestinatione membra quae ipsi damnarant, ad oculum exhibentur, pro ut a defensoribus ante dictarum sententiarum, scriptis publicis editis asserta fuerunt, & hodie dum reperiuntur, ad quae hic omnia otio indulgere volentem labens remitto, ne pluribus blasphemis referendis Catholicas chartas maculem.

VII. Rationes, ob quas impulsus Remonstrantes eiusmodi syllabum ediderint, solum addo, sunt autem haec.

1. Quia nulli rectius & plius sententiam istam de Electione & Reprobatione ante lapsum & circa lapsum exposuerunt, quam ij qui in ea Syllabocitaantur, cum maxima parte praecipui sint & celeberrimi istius sententiae assertores ac patroni.

2. Quia ipsi Contra remonstrantes in hoc nostro Belgio passim in scriptis suis, ubi de his questionibus disceptatur, super horum Doctorum consensu gloriantur, & ob hoc nouitatis nos insimulant, quod ab illis dissentiamus. Patet hoc ex nuper contraria Declaratione Contra Remonstrantium Illust. Ordd. Hollandiae & VVestfrisiae tradita Anno 1617. In qua sententiae suae antiquitatem ex horum auctorum suffragio circa haec ipsa capita stabiliuot, discretè affirmantes illos ipsos sententiae suae fuisse addictos, eandemque magna cum ædificatione, & vnganiami cum assensu Ecclesiarum reformatarum, &c. concionibus & scriptis tradidisse, ac propugnasse. Probat hoc Adriani Smoutij liber, quem Concordiam indigetat, in quo prolixum eorundem auctorum Syllabum recitat, & eorum *ὁμολογίαν* (licet infeliciter) probare conatur. Probat hoc Iacobi Triglandij ministri Amstelodamensis prolixum opus, cui titulum fecit: Defensio doctrinae & existimationis reformatarum Ecclesiarum; in quo pro istorum Doctorum dictis quam maxime horridis, tanquam pro Ecclesiae doctrina decertat, ac si Ecclesiae sua doctrina & existimatio constare non possit, nisi integris & illaesis istorum DD. de predestinatione placitis.

3. Quia quam plurimi, libri horum Auctorum de his ipsis questionibus, partim Belgico idioma te conscripti, partim è Latino in Belgicum versi, in vulgus apud nos sparsi sunt, & indices sparguntur, non sine graui offendiculo & Ecclesiarum nostrarum conturbatione. Horum ergo sententiam in hac Synodo proponi ac refutari quam maxime necessarium est.

4. Quia partim scriptis, partim concionibus hoc nomine accusamur, quod sententiam horum DD. mala fide proponamus. Vide Collat. Haguensem pag. 6. & 7. Edit Belg. & pag. 20. & 38. Quae causa est, cur ipsissima eorum verba hic adducere operæ pretium duxerimus.

5. Quia Contra Remonstrantes fatentur, se & cum Supralapsarijs & cum Sublapsarijs Doctoribus in summa doctrina huius conuenire. Vide Collat. Hag. 24 Editione Belg. pag. 31. Triglandius in moderato Christiano pag. 31. Quae etiam vtriusque sententiae Doctores allegari expedit.

6. Quia vulgò Contra Remonstrantium sententia nobis impingitur, & nostra ipsis. Quare postulat res, vt ubi Christiano constet, quid ipsi sui verbis de his doctrinae capitibus enuncient Contra Remonstrantes, adeoque etiam illi, eorum scholis & libris doctrinam suam hauserunt nostrates.

7. Quam obrem aperte & ingenuè testamur nos horum Doctorum sententiam & dicta non allegare vt eos traducamus, aut debita ipsorum existimationi detrahamus, sed ob rationes iam dictas. Arbitramur enim viros fuisse clarissimos, & optime de Ecclesia in multis meritis, quorum etiam ne vos & lapsus regere voluissimus, nisi ad horum propositionem & refutationem, nos adigeret necessitate causa nostra defensio, quin & ipsi Contra Remonstr. affirmando à nobis iniuriam istis Doctoribus fieri, ne talia ab illis doceri, admississent. Nos ergo hoc agendo sepulchra horum Doctorum impuris manibus refodere conamur, vti objicitur, sed vt Dei & Patris nostri caelestis gloriam in horum errorum refutatione asseramus & vindicemus. Et profectò si ipsi ipsi Doctoribus licuit quam plurimè apprehendere in omnium ferme Veterum Patrum, & tot Ecclesiae praesae luminum, Irenaei, Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, & aliorum scriptis, cur & nobis idem non licebit in Neotericorum DD. scriptis? Nec verentur recentis nostri Theologi ipsos Lutheri de re sacramentaria errores taxare & publicis scriptis refutare. Accedit, quod illi ipsi, quos citamus, Doctores sententiam suam clam esse noluerint; sed editis scriptis expressam iudicio Christiani orbis subiecerint. Maior ad haec habenda est ratio ædificationis Ecclesiarum & boni publici, quam particularis existimationis horum DD. cui

est tamen apud æquos iudices nihil propterea detrahetur, cum falli & labi humanæ naturæ vitia sint, & doctissimorum etiam virorum hæc fors esse soleat, à vero subinde aberrare. Certè non veretur Reuerendus Episcopus Satisburienfis in numero suo scripto aduersus Thomasonem edito VVilhelmi Perkinsi celeberrimi apud Anglos Theologi sententiam super Prædestinationis dogmate, tali censurâ notare, pag. 82. *Perkinsus vir aliqui eruditus & pius in descriptione diuinæ Prædestinationis, quam ille contra nosram, contra veteris Ecclesiæ fidem contra lapsum Adami absolute, decretam constituit, errantem errorem non leuem, cuius à doctis quibusdam viris inuicem iam dudum suscepta defensio, turbas Ecclesiæ non necessariis dedit, quas etiam non sine scandalo & periculo habere videmus, &c.* Ita Remonstrantes.

De Caluinianis alijs contra prædictas sententias, tanquam impias, pugnantibus, siue de Remonstrantibus eorumque doctrinæ prioribus opposita.

G A P. IV.

- I. Sententia Remonstrantium de prædestinatione X. Titulis exposita.
- II. Declaratio harum Thesium facta per ipsosmet Remonstrantes A. 1619. 14. Ian. exhibita in Synodo Dordracena Caluinianorum.
- III. Quomodo conueniant Caluiniani in Voce Electionis intelligenda.
- IV. Quomodo idem inter se discrepent.
- V. Explicatur finaliter sententia Remonstrantium, quantum ad prædestinationem attinet, consistens in quatuor punctis, nempe causis, obiecto, conditionibus, discrimine inter Electionem ad gratiam & ad gloriam.
- VI. Remonstrantes occurrunt quibusdam dubijs & objectionibus de Fide & Christo, contra aduersarios.
- VII. Ordinem decretorum diuinorum in Electione secundum suam sententiam proponunt Remonstrantes:
 - I. Sententia Remonstrantium quam in conscientia sua Verbo Dei consentaneam esse arbitrati sunt hætenus, & etiam non arbitratur, circa primum de Prædestinationis decreto Articulum, hæc est:

r. Deus non decreuit quemquam ad vitam æternam eligere, aut ab eadem reprobare ordine

prius quam eundem creare decreuerit, citra vilius obedientiæ seu inobedienciæ antecedentis intuitum, pro beneplacito suo, ad demonstrandam gloriam, misericordiæ & iustitiæ suæ, vel potestatis & dominij absoluti.

2. Cum decretum Dei de cuiusque hominum salute tum exitio non sit decretum finis absolute intenti; sequitur neque eidem decreto subordinata esse mediata, per quæ ad finem destinatum tum Electi, tum Reprobi efficaciter atque inuitabiliter perducantur.

3. Quare nec Deus hoc Consilio creauit in vno Adamo omnes homines in recto statu, non ordinauit lapsum, eiusve permissionem, non subtraxit Adamo gratiam necessariam & sufficientem, non procurat Euangelium prædicari, homines externè vocati non confert illis vlla dona Spiritus S. vt ista media essent per quæ eorum aliquos ad vitam perduceret, alios vitæ beneficio destitueret. Christus mediator non est solum executor Electionis, sed ipsius decreti electionis fundamentum: Quod alij efficaciter vocantur, iustificantur, in fide perseuerant, glorificantur, causa non est, quod absolute ad vitam æternam sint electi: Neque quod alij in lapsu deserantur, Christus ijs non detur, profus non aut ineffaciter vocentur, indurentur, damnentur, causa non est, quod à salute æternæ absolute sint reprobati.

4. Deus non decreuit sine interuenientibus peccatis actualibus multo maximam partem hominum, ab omni salutis spe seclusam in lapsu relinquere.

5. Deus ordinauit vt Christus sit propitiatio pro totius mundi peccatis; & vt istius decreti, statuit credentes in ipsum iustificare & saluare, hominibusque media ad fidem necessaria & sufficientia administrare, ea ratione quam nouit suam Sapientiam & Iustitiam decere. Nequaquam autem destinauit ex vi decreti absoluti solis electis Christum Mediatorem dare, eisdemque solos fide per vocationem efficacem donare, iustificare, in fide conseruare atque glorificare.

6. Nec à vitæ æternæ; nec à medijs ad eam sufficientibus vilius reiectus est absoluto aliquo antecedente decreto; sic vt meritum Christi, vocatio, omniaque dona Spiritus prædesse ad salutem omnibus possint, & reuera profint, nisi ea ipsi in exitum sibi eorundem abusu vertant: ad incredulitatem autem, impietatem, peccata, tanquam media & causas damnationis, nemo destinatus est:

7. Electio

7. Electio singularium personarum peremptoria est ex consideratione fidei in Iesum Christum & perseverantia, non autem citra considerationem fidei & perseverantia in vera fide, tanquam conditionis in eligendo prærequisita.

8. Reprobatio à vita æterna facta est secundum considerationem antecedentem infidelitatis & perseverantia in infidelitate, non autem citra considerationem antecedentem infidelitatis aut perseverantia in infidelitate.

9. Omnes fidelium liberi sunt in Christo sanctificati, ita ut nullus eorum ante usum rationis ex hac vita decedens, peccat: Nequaquam autem in reprobatorum numero censentur etiam nonnulli fidelium liberi in infantia sua ante vllum peccatum, in propria persona commissum, ex hac vita decedentes: adeo ut nec baptismi sacrum lauterum, nec preces Ecclesiæ ipsi vlllo modo ad salutem prodesse possint.

10. Nulli fidelium liberi baptizati in nomine Patris, & Filij & Sp. Sancti in infantia sua statu viventes absoluto decreto reprobatis adscribuntur.

II. Declaratio sententiæ Remonstrantium de Prædestinationis Decreto, in hunc modum ab eis est concepta. Ut de Prædestinationis Decreto Articulus, decem propositionibus à Remonstrantibus expressus solidè ac planè intelligatur, operæpretium est, ut nonnulla, quæ in thesibus (vtri ferè fieri solet) brevibus & succinctis quibusdam terminis enunciata sunt, clarius & dilucidius ob oculos proponantur, & vtriusque partis sententia, tum Remonstrantium, quæ planalicer atque perspicua satis sit, tamen odiose sæpe proponi solet, tum imprimis Contra-Remonstrantium, quæ mirum in modum occultari, abscondi & coram populo rudi atque indocto magno studio & cura incurstari solet, declaratione quâdam propiore in lucem eruat & ad vivum relecta oculis omnium subijciatur.

Hoc ut fiat, ad tria quædam capita sedulo attendendum & animadvertendum esse arbitramur. Primum est, ut perspicue declaretur, quid per Electionem ad vitam æternam, & Reprobationem à vita æterna vtriusque intelligatur. Secundum est, quis divinorum actuum ordo in Decreto tum Electionis, tum Reprobationis ab utraque parte constitui soleat. Tertium est, Quæ ratione termini varij hinc inde usurpati, & in thesibus Remonst.

expressi, intelligendi sint, ne alicui amplius ferantur pro latribus & *χρησθησιν* ad sententiam propriam & genuinam, quam in sinu foueat, occultandum & abscondendum.

III. Primum caput quod attinet, Electionis vocem triplici ferè significatu accipi solere in sacro codice fatentur Remonstrantes.

Primo significet Electionem ad gratiam Evangelicam, id est, vel decretum ipsum æternum de eligendo i. gratiosè vocando, & sic quasi eximendo, segregando & sequestrando homines ad participationem & communionem beneficiorum singularium illorum, quæ Evangelico comprehensa sunt; quo sensu accipi nobis videtur ad Eph. 1. 4. cum dicitur, *Sicut elegit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta*, pro eligere, seu per Evangelium ad communionem gratiæ supercælestis evocare decrevit; tanquam scilicet primus auctor & fons gratiæ omnis atque misericordiæ: vel ipsam actualem, quæ in tempore fit, segregationem, seu potius evocationem per Evangelij gratiosam prædicationem; quo sensu accipitur vox Electionis *Joan. 15. 19. Quia ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Electio enim hæc evocationem & segregationem ex mundo mundanisque studiis significet necesse est. Pet. 1. 10. *Quapropter fratres potius studete vocationem & electionem vestram firmam facere.* Item. 1. ad Thess. 1. 4. *Ut qui sciamus fratres dilecti, à Deo electionem vestram*, id est, vocationem vestram à Deo auctore profectam esse. De Electione enim æterna omnium Thessalonicensium, ad quos scribitur, Apostolum hæc dixisse nullo modo verisimile est. Segregatio autem vel evocatio hæc, electio siue selectio appellatur duplici ferè de causa; vel, quia è communi hominum cætu populi sæpe nonnulli alijs quibusdam certo Consilio diuino præteritis & relictis, vtri in Electione proprie dicta fieri solet, evocantur, & quasi eximuntur ad audiendum, & sic ad participandum Evangelij gratiam singularem, siue evocationi illi diuinæ morem gerant, quo sensu 1. ad Cor. 1. vers. 26. 27. *stulta, infirma, ignobilia mundo, elegisse*, dicitur Deus, id est, evocasse ita, ut obedirent Deo vocanti, vel saltem obedire se professi sint, & hoc sensu vox Electorum in scripturis non raro accipitur; siue ad obediendum Evangelio à Deo tantum inuitentur: quæ ratione de Gentilibus dicitur passim, quod relictis Iudæis ipsi

electi

electi à Deo, id est, vocati sint ad obediendum Euangelio, & sic ad beneficia Euangelio promissa consequendum eâ ratione ac via, quæ Euangelio continetur ac præscribitur: siue denique uocationi iam factæ refragentur, quo sensu *diligè* adhuc Iudæi increduli dicuntur *secundâ Electionem* Rom. 11. & passim populus Israeliticus non obstante eo, quod rebellione & contumacia sua Deum subinde fatigaret, *electus tamen Dei populus* passim in V. T. vocatur. Vel, quia totus aliquis populus, qui antea expers fuerat gratiæ & uocationis Euangelicæ, quasi ex communi & vulgari illo statu (citra vllam ad alios populos præteritos relationem) euocatur & eximitur ad participandum excellentem & priore longè digniorem statum: quo sensu Gentiles Apostolus Petrus 1. Epist. 2.9. *ἐκλεκτοὶ* appellat, quia cum antea populus non essent, populus facti erant, uti versu sequenti, exponitur.

Secundo, Electionis vox significare aliquando solet specialem aliquam dignationem & separationem personarum, vel ad specialem aliquod munus & officium gerendum, quo sensu Luc. 6. 13. *elegisse duodecim Apostolos* dicitur Christus, vel ad prærogatiuam aliquam & dignitatem siue eminentiam supra alium, citra omnem tamen exclusionem à salute æternâ alterius ira non electi; quo sensu tribuitur Deo cum de Iacob & Esau agitur Rom. 9. vers. 11. *Proposuit secundum electionem*, quia scilicet dixerat, vel, ut textus habet, vocauerat, id est pro suo arbitrio pronunciauerat, *Maior seruius minori*, & alibi, *Iacob dilexi, Esau odio habui*.

Tertio, Electionis vox significare solet destinationem peremptoriam ad æternam vitam & beatam immortalitatem, & hoc sensu ferè semper à Theologis in hac materia accipi solet, cum dicunt: *Electi simpliciter*.

Iuxta hanc triplicem vocis electionis significationem, triplex etiam statuatur necesse est vocis Reprobationis significatio, 1. à gratiosa uocatione quæ per Euangelium fit. 2. à gratia specialis alicuius prærogatiuæ & dignitatis supra alios, 3. à gloria siue felicitate æterna.

Et in hisce quidem, quoad summam rei conueniunt vnanimiter ferè Theologi Calviniani.

IV. Discriminantur vero inter se duobus ferè modis, 1. obiecti ipsius formalis circa quod tum Electio tum Reprobatio versari creditur, consideratione, 2. ratione ordinis, quem Deus in actibus tum eligendi tum reprobandi, quibus circa obiectum versatur, obseruat & vsurpat.

De obiecto torferè sunt inter eos, qui Contra-Remonstrantes dicuntur sententiæ, quot capita, eæque tam diuersa, tam longè à se inuicem disticta, vt auctores ipsi inter se contendant, Ex vna sequi Deum insipienter agere, ex altera Deum iniuste, inique, & Tyranni in morem agere. Alia tantæ sit subtilitatis, vt propria sua vanitate euanescat. Alij enim obiectum Electionis & Reprobationis statuunt homines communiter & indefinite consideratos, alij vt condendos, alij vt conditos, alij vt lapsos, alij vt condendos, conditos, lapsos simul, alij vt saluabiles, damnabiles, creabiles, labiles, reparabiles; tam multiplici profecto discrimine, vt in perplexissimis labyrinthis hæere sese experiat, quisquis in istas variantes Theologorum Contra-Remonst. etiam eorum qui in hoc Confessu comparent, opiniones atque placita incidit.

Remonstrantium vero sententiam quod attinet, vniformiter & simpliciter statuunt, juxta Euangelij ipsius formulam, obiectum diuinæ & quidem peremptoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & ad æquatum esse, Omnes & solos auxilio diuinæ gratiæ credentes in Iesum Christum & in fide illa vera perseverantes vel morientes? Catholici addunt, & Mandata Dei ac Ecclesiæ obseruantes.

Contra vero Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium obiectum primum & ad æquatum esse, omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in fide vera non perseverantes, (Catholici iterum addunt: aut si fidem retinent, & secundum illius dictamen non vivant.)

V. Vt hæc sententia Remonstrantium plenissimè intelligatur, nonnulla propius elucidant Remonstrantes.

Ac primum quidem cum de Prædestinatione, quæ vtramque partem, id est tum Electionem tum Reprobationem, complectitur, agunt Remonstrantes, dupliciter ferè eam accipere solent. Primum vt significet Decretum illud diuinum generale, quo constituit pro liberrimo suo arbitratu credentes saluare, incredulos reprobare, id est, ex multis possibilibus vnâ certam quandam rationem in mente sua designare & statuere, secundum quam saluare velit & damnare. Secundo vt significet decretum diuinum speciale, quo constituit iuxta præcedens illud decretum hos saluare, illos perdere, id est, hos consideratos vt

Aa4

fideles

fideles aeternae vitae destinare, illos consideratos ut infideles, siue qui credere nolunt, aeternae mortis atque exitio addicere. Prior actus simpliciter & in genere Praedestinatio ad vitam & ad mortem, posterior praedestinatio huius vel illius ad vitam aut ad mortem rectissime dicitur.

Primum illud Decretum Dei liberissimum est, nullamque aliam causam habet, quam puram Dei voluntatem & arbitrium, neque ullius etiam rei praerogationem, tanquam occasionem aut causam sui habere dici potest. Itaque fidei dignitas, aut meritum, aut praerogativa, quae dam intrinseca hic in considerationem quentiquam venit, cui videlicet Deus eam feligere ex aliarum rerum omnium ordine voluerit, siue cur circa eam non saluare, & per eam solam homines saluare decreuerit: solum diuinæ voluntatis placitum hic locum habet.

Secundum Decretum, quia priori innixum est, in diuina quidem voluntate fundatur, sed fidei tamen ipsius aut infidelitatis intuitum & respectum praerupponit: unde ex vna parte fides quidem & perseverantia in fide, veluti conditio praestita ab homine, ac proinde tanquam causa sine qua non in hoc decreto consideranda venit. Conditio enim praescripta & praestita necessario causae alicuius rationem induit: sed nullo tamen modo tanquam causa quae aut impellat aut efficiat virtute, merito, vel intrinseca dignitate ac perfectione sua, ut Deus hunc credentem saluare velit. Ex altera vero parte Infidelitas & contumacia consideranda venit, non tantum veluti causa sine qua non, iuxta prioris decreti formulam; sed etiam tanquam meritoria causa propter quam Deus velit hominem hunc reprobare & condemnare, id est quia intrinseca fœditas, turpitudine & malitia, quae in infidelitate est, illud meretur. Alia enim est ratio in Electione, quam in reprobatione: quia Electio ex gratia est, reprobatio ex ira & seueritate: ibi meritum locum habere nullo modo potest. hic & potest & debet; id quod in negotio iustificationis & oppositae condemnationis manifestè liquet.

Deinde cum fideles & in fide perseverantes aut morientes obiectum esse dicimus Electionis, & infideles obiectum Reprobationis, eos tantum intelligi posse ac debere statuimus, quibus gratia diuina aut re ipsa iam facta est, ut credere possent, & iam credentes in fide perseverare ad finem usque; aut quibus Deus paratus fuit gratiam illam, quae

ad fidem concipiendam & conservandam necessaria est, facere: ne videlicet quis nobis infantium, surdorum, amentium, tabidosorum, Indorum, aliorumque exempla hic alleget. Lex enim non lata, aut non intellecta, cum intelligi non possit, non obligat: quomodo enim crederent ei de quo nunquam audierunt Rom. 10. 14. 15. 22. *Si non videris & locutus essem ei, peccatum non haberent, nunc autem non habent quod praerogant peccato suo.*

Tertio, quia fideles alij sunt, qui te vera quidem in Iesum Christum credunt, sed à fide illa vera vel secundis rebus delinunt, vel aduersis fracti, vel spe vel metu abducti deficiunt, & in defectione illa moriuntur: Alij qui in fide illa ad finem usque vitae perseverant, aut saltem si ab ea deficiant, singulari, quodam gratiae diuinæ beneficio reuocati, in fide restantur, & ad frugem redeunt, & tandem in eadem moriuntur, ac vitam hanc finiunt, hos solos intelligi volumus. Sicut ex aduerso, quia infideles quosdam sunt, qui aliquamdiu quidem infideles manent, tandem tamen respiciunt; quidam vero, qui etsi diu multumque vacentur, respiciere tamen & credere aut nolunt, aut non admodum curant, nec operam pretium ducunt; quidam qui ad meliorem mentem reuocari quidem se patiuntur: sed mutata rursus mente ad ingenium redeunt, & antiquum obriunt: non primi generis infideles, sed posterioris intelligi volumus. Quae causa etiam est, cur peremptoria electionis mentionem fecerimus: fateamur enim non illibentes, eos, qui ad tempus vera fide credunt, pro isto tempore in gratia esse, & proinde non minori iure electos dici posse, quam iustificatos, ablutos, beatos, & vitae aeternae participes: quia videlicet in statu illo sunt, in quo si perseverarent, re vera aeternam gloriam & felicitatem consecuturi essent. Ob quam causam Apost. 2. Tim. 2. 10. *Se se omnia sustinere asserit propter electos (id est, fideles) ut & ipsi salutem consequantur, id est, ne per ipsum vltimo modo stet, quo minus illi officij sui accuratam rationem habere pergant, & sic à salute aeternâ, cuius iam per fidem aliquatenus participes facti erant, excidant. Quod ipsum etiam ex eo satis clare confirmatur, quod ij qui vocationi diuinæ paruerunt, electi dicuntur, cum tamen à fide sua deficere possint, & ut ne deficiant serijs monitionibus & hortationibus à Deo extimulentur, imò non raro deficiant: Vnde etiam ab Apostolo Petro electionem suam firmam reddere sub-*

les monentur. Similiter ex altera parte eos, qui infideles aliquamdiu manent, & nullis monitionibus atque adhortationibus ad frugem adduci possunt, quamdiu tales manent, non minus reprobos, quam inimicos, hostes Dei, irā filios, miseros, perditos, & vita alienos, in morte positos dici posse; quia in statu illo sunt, in quo si perseverent, æternū à facie Dei reiiciendi & condemnandi sunt; etiam si fiat, ut postea deinde per fidem, vitam in melius commutent, & in ea fide ad finem usque vitæ constantiter permaneant.

Quarto, quia electio illa, quæ ad gratiam dicitur, non omnino nec prorsus excludit omnem affectum ac voluntatem communicandi gloriam ac vitam, sed eum necessariò præsupponit, tenendum diligenter etiam est, quæ ratione electio hæc ad gloriam intelligenda, & ab electione ea, quam nos definitimus, distinguenda sit. Dupliciter considerari potest gloria: vel sub ratione finis, vel sub ratione præmij. Sub ratione finis consideratur, cum ex affectu & amore gloriæ ac salutis æternæ, quam Deus creaturis suis communicare cuperet, efficaciter quasi mouetur ad conferendum & suggerendam eam media, quæ obtinendo isti fini necessaria sunt. Is enim efficaciter censetur velle finem, aut aliquid sub ratione finis, qui amore finis mouetur ad eam media quærenda, aut subministranda, quæ isti fini obtinendo per se conducunt ac vtilia sunt; siue finis ipse obtineatur, siue non obtineatur: sicut e. g. medicus censetur velle atque amare ægrotantium sanitatem sub ratione finis, quia amore sanitatis, siue eo ipso quod ægros omnes curatos velit, omnia media adhibere atque usurpare, quæ sanitati procurandæ conducere possunt: Similiter Patres familias liberorum suorum obsequium, & Ministri Iesu Christi gregis sibi concrediti sanctimoniam & innocentiam amare dicendi sunt, etiam si fieri possit, ut id quod volunt & cupiunt, non obtineant, nec consequantur. Sub ratione præmij eligit aliquos ad gloriam Deus, cum illis actu & re ipsa conferre vult gloriam, tanquam fidei & obedientiæ ab ipsis præstitæ mercedem ac præmium. Primam Electionem ad gloriam hoc loco intelligi volumus, quia ex illa oritur decretum communicandi ea media, per quæ ad gloriam perueniri potest. Quæ quia respici & reiici possunt, hinc est, quod posita huiusmodi electione ad gloriam, non ponatur necessariò gloriæ & salutis æternæ

collatio. Quæ causa etiam est, quod illa communiter & sine discrimine illos extendat ad omnes eos, qui diuinæ vocationis gratiosæ participes fiunt. Neque enim fieri potest, quin eos, quos Deus ex affectu beneuolenti ad gratiæ Evangelicæ communionem vocat, etiam ad gloriam, quantum in se est, peruenire velit. Qui enim id vult quod ad gloriam ipsam per se dirigitur, etiam velle dicendus est gloriam ipsam: sicut, qui alicui cibum ad conseruandum eum in vita suppeditat, efficaciter etiam vitam velle, quantum in se est, dicendus omnino est. Sed quia sæpe fit, ut is, cui Deus gratiam facit, eam reiiciat, & is per consequens etiam vitam & gloriam nolle dicitur in facris; imo, quod amplius est, mori velle, &c. hinc est, quod electionem eam ad gloriam hic intelligi velimus, quæ peremptoria est, & æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi coniunctam habet.

Distinctionem hanc necessariam esse Scripturæ loca passim arguunt. Ad primam pertinent hæc sequentia, Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis crediderit in eum non pereat, &c.* vers. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut mundus seruetur per eum. Ioan. 5. 34. *Hæc dico vobis ut vos seruemini.* vers. 40. *Sed vos non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* 1. Corin. 5. 19. *Deus erat in Christo mundam sibi reconcilians, non imputando eis lapsus ipsorum, posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, veluti Deo precante per nos, oramus Christi nomine: reconciliamini Deo.* 1. Timor. 2. 4. *Deus vult omnes homines seruari, & ad agnitionem veritatis peruenire.* 2. Pet. 3. 9. *Deus patiens est erga nos, nolens illos perire, sed omnes ad resipiscendum tendere.* Et similia multa alia. Ad secundam omnia ea pertinent, in quibus gloriæ, coronæ iustitiæ, mercedis præparatæ ab æternomen- tio passim fit.

Huius itaque Electionis peremptoriæ fructus non potest esse, vel datio Seruatoris, vel fides in Seruatorem: Vtrumque enim hoc electioni isti præsupponitur. Nec reprobationis huius fructus aut consequens est, nec esse potest negatio Seruatoris & infidelitas: vtrique enim hæc Reprobationem præcedit.

VI. Etsi vero fides Electionis primæ illius, quæ Deus constituit fideles seruare, fructus aliquatenus dici possit, quia ex decreto illo fuit necessi-

tas alterius decreti illius de conferendo media-
lia, sine quibus fides concipi & haberi nequit, imo
per quæ ingenerari etiam fides & potest & solet;
tamen revera fructus non nisi *κατα χάριτος* dici
potest: cum ea posita fieri nihilominus possit (et si
Deus per sapientiam suam noverit aliter futurum)
ut nemo credat, & omnes omnino infideles ma-
neant: & alioquin etiam Reprobationis illius ge-
neralis fructus aut consequens infidelitas etiam
dicenda foret, quod absurdum est.

Electiois vero quæ ad gratiam est, fructus dici
potest hætenus, quod beneficio illorum mediocrum.
quæ per gratiam suppeditantur, homo non tantum
potens redditur ad credendum, sed actu etiam
credit & fidem concipit, adeo ut gratiæ, tanquam
causæ primæ ac principali, & solum supernatura-
liter operanti, tribuendum sit, quod quis credat &
in fide perseveret. Neque tamen hoc sensu fructum
Electiois huius dici credendum est, quasi ex illa
Electioe, sive potius gratiæ huius collatione, ne-
cessario existat & oriatur fides, non aliter quam
fructus ex arbore: sicut enim fides ei cui gratiæ ista
confertur, præscribi non posset & mandari sub
comminatione æternæ pœnæ; & quidem ab eo,
qui eam gratiæ illi vim atque efficacitatem inesse
non tantum novit, sed eandem etiam ipse adhibet
æque usurpat ad fidem ingenerandum. Sed hæc
tantum ratione, quod sine hac gratia fides, inge-
rari nequeat, & beneficio illius solius in omnibus
qui credunt ea ingeneretur & efficiatur.

Per fidem intelligimus de liberatum illum & fir-
mum animi assensum ac fiduciam, quo non tantum
Jesu Christi veluti veræ ac divinæ in hæremus, sed
in ipsum etiam Jesum Christum Sacerdotem ac
Regem unicum, Dominum nostrum à Deo nobis
datum totum recumbimus, ita ut ab eo uno salutem
omnem ac felicitatem expectemus. Fiducia autem
hæc necessario secum involvit atque importat vi-
tæ sanctimoniam, atque integritatem, sive chari-
tatem, & ut sic consideranda semper est: non quod
sanctimonia illa vel fidei forma sit, vel propriè ac
per se partem aliquam objecti constituat, quod in
electione considerandum veniat; sed quod fides,
quæ eligenti Deo obijcitur, sine illa esse nequeat,
eamque de se sua fecunditate gignat atque ema-
nare faciat; fides enim nulla alia hinc attendenda est
quam *virtus quæ per charitatem efficitur*, Gal. 5.

Christum cum dicimus esse Electionis Decre-
ti fundamentum, non id tantum volumus, quod
Christus sit caput Electorum & fons bonorum:

omnium quæ ipsi destinatur in Electione; quo-
modo enim hac ratione Electionis fundamentum
esset Christus? sed quod meritum & satisfactionem
Jesu Christi filij sui Deus præire ac præsterni vo-
luerit antequam ullum hominem ad vitam elige-
ret, aut de ullo homine nominatim salvando quip-
piam statuere vellet; non quod agere aliter nullo
modo posset, sed quod justitiæ suæ læsæ rationem
habere vellet, antequam misericordiæ fores pec-
catoribus aperiret ac patefaceret. Verum quidem
esse fatemur, quod affectus sive voluntas salvandi
peccatores dationem aut Decretum de dando Me-
diatore præcesserit; dilexisse enim mundum dicitur
Deus, & ex dilectione filium dedisse, Joannis
3, sed affectus ille & voluntas peremptorium sal-
vandi decretum non erat; alioquin tota satisfac-
tio, propitiatio & meritum Jesu Christi subsecu-
tum inutile futurum fuisset acque frustraneum,
quia neque potest, neque necesse habet reconciliari
aut propitius reddiis, qui iam ante perempto-
riæ & summo amore aliquem diligit ad vitam æ-
ternam. Itaque Christus ex sententia nostra decreti
ipsius electionis fundamentum est dupliciter,
Primo, quia nisi Decretum de dando Mediatore
præcessisset, non potuisset decretum de salvandis
ijs, qui in Mediatorem credunt, locum habere. De-
inde, quia Justitiæ divinæ, quæ obstabat quo mi-
nus Deus in gratiam simpliciter cum peccatoribus
redire vellet, per Mediatorem satisfactum est, adeo
ut ea satisfactione primum interveniente deinde
æternam vitam his & illis assignare, & per eum ip-
sum Mediatorem totum salutis negotium admini-
strare constituerit.

VII. Ex quibus omnibus manifesto liquet, quis
ordo Decretorum divinatorum à nobis statuatur in
Electioe & Reprobatione: hic videlicet:

1. Deus ad gloriam & laudem redundantis boni-
tatis suæ decrevit creare hominem ad imaginem
suam.

2. Hac ratione creato homini legem posuit, quæ
præstari ab eo non tantum possibile, sed & æquissi-
mum erat, addita proinde comminatione mortis si
eam transgredereetur.

3. Cum Adam liberrimè transgressus esset legem
hanc, ac proinde malo mortis ac condemnationis
non se ipsum modo, sed Deo ita ordinante, per na-
turalem generationem posteros omnes involvis-
set, mansit quidem affectus misericordiæ in Deo
ad liberandum hominem miserum, sed quia obsta-
bat

bat iustitiam, quæ læsa erat, & veritas comminationis divinæ, quo minus transgressori tali beneficeret, in actum exire non voluit Deus misericordiam suam, nisi prius iustitiæ satisfactum esset, & ante omnia manifestum fieret, Deum peccatum serid odisse & iustitiam amare.

4. Huic autem ut satisficeret, Mediatorem constitutere voluit, qui pro peccatoribus omnibus piaculatis victima fieret, & pro ijs mortem subiret, qui per sanguinem suum ad eorundem reconciliationem effusum jus acquireret salutem & vitam æternam certa lege ijsdem conferendi.

5. Sanguine hoc effuso, vel ut effuso considerato, decrevit Deus ut omnes ij qui in Redemptorem illum verè crederent & in fide ad finem usque vitæ perseverarent, ex misericordia & gratia salutis & vitæ æternæ per eum participes fierent, ij vero qui credere in illum nollent, & in incredulitate atque inobedientia illa sua perseveraturi essent, ea propter æternæ mortis & condemnationis pœna plecterentur.

6. At vero quia fieri non poterat, ut peccatores ex seipsis aut virtutibus suis naturalibus crederent in hunc Redemptorem suum, & in fide tali perseverarent, ac proinde ut nō credentes rei incredulitatis peragerentur, hinc est, quod Deus decreverit ijs media ad fidem & respicientiam necessaria & sufficientia suppeditare per quæ aut actu & re ipsa ad fidem concipiendum idonei redderentur, aut ad fidem tandem aliquando concipiendum magis magisque disponerentur, præpararentur, & quasi gradibus quibusdam pro-eherentur.

Ex quo ultimum deinde Decretum fuit de salvandis nominatim illis, qui beneficio mediorum illorum credituri, & in fide perseveraturi erant, damnandis vero vel reprobandis à salute illis, qui ad finem usque vitæ impenitentes & increduli mansuri erant, aut saltem in incredulitate morituri.

Hæc est Remonstrantium ipsissima sententia, ex Catholicis Doctoribus collecta, postquam agnoverunt & senserunt, quod reliqui Calviniani Doctores, Factionis Gomaristæ, sive Ante sive Postlapsarij illi sint, Christianum populum in blasphemias & exitum æternum sua Confessione Belgica, & Catechismo Heidelbergensi præcipitæ, Et de quibus, nempe tam Confessione quam Catechismo nunc amplius agendum est, ut eorum medullam Catholici penetrent & Calvinianorum in Germania oratorum obruraro.

VIII. Quemadmodum iam in Articulo de Prædestinatione Calvinistæ in Hollandia dissecti fuerunt in duas aut tres factiones, odio tanto sese prosequentes, quanto aliam quamvis à se dissentientem sectam, ita quoque iidem inter se discordes facti sunt in alijs articulis, qui à prædestinatione pendent aut cum ea connexi sunt, quorum porissimum quatuor capita erant, nempe quæstio, *An Christus D. N. solum pro his passus sit & mortuus, quos vti Antelapsarij dicunt, ante omnia præuisum in Adamo lapsum, Deus elegit absolutè ad salutem, vel ut Sublapsarij fingunt, solum pro his quos Deus ex massa perditionis, absoluta electione prædestinasset? An pro cunctis omnino hominibus, qui ex Adam nati sunt vel porro nascentur, vti defendunt Arminiani, concedentes quod non omnes, nempe aliunde accedente impedimento, passionis eius fructu fruuntur.* Accebat ad hanc controversiam alia consequenter disceptatio: *De Gratia divina auxilijs, & cooperatione cum eâ liberi arbitrij.* Circa quam materiam absurdæ fovebant sententias Gomaristæ, quos idcirco Arminiani vehementer oppugnabant. Denique *5. Controversia eorundem erat de Perseverantia finali Fidelium,* circa quam Gomaristæ rursus mire absurda dogmata fovebant, Arminiani vero eademæque reprobantes meliora substituere connitebantur, ipso lumine naturæ adversus blasphemias aduersariorum excitati, & libris Catholicorum adiuti. Quid porro de his quatuor Controversijs materijs senserint adversariæ partes inter Calvinistas digladiantes, facillime ex Remonstrantium Thesibus intelligitur, vtpote è diametro oppositis adversus Assertiones Gomaristarum, Theses has expresserunt Remonstrantes ipsimet in Actorum suorum parte 2. pag. 280. quoad secundæ Controversiæ caput his verbis.

IV. *Theses de Universalitate meriti mortis Christi exhibiti synodo Dordracena A. 1618. 16. Dec.*

1. *Preteritum redemptionis quod Christus Patri suo obtulit, non tantum in se, & per se toti generi humano redimendo sufficiens est; sed etiam pro omnibus & singulis hominibus ex decreto, voluntate, & gratia Dei patris perfolatum est: eoque à participatione fructuum mortis Christi, nemo absolute & antecedente Dei decreto præcipis exclusus est.*

2. *Christus merito mortis sua Deum patrem uniuerso generi humano hæcenus reconciliauit, ut Pater propter ipsius meritum, salua iustitia & veritate sua, novum*

gratia fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxii hominibus inire & sancire poterit ac voluerit.

3. Etsi Christus pro omnibus & singulis hominibus reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum promeruerit, nemo tamen secundum Novi & gratiosi fœderis pactum, aliter, quam per fidem beneficiorum merito Christi partorum re ipsa sit particeps: nec peccata hominibus peccatoribus remittuntur, antequam actum & vere in Christum credant.

4. Credere, Christum pro se mortuum esse, ij soli tenentur, pro quibus Christus mortuus est. Reprobi vero, quos vocant, (reliqui Calvinistæ, nêpe Gomaristæ) pro quibus Christus mortuus non sit, (vt ijdem volunt nec ad istam fidem obligari, nec propter incredulitatem contrariam iuste possent damnari: quin si qui tales Reprobi essent ij credere tenerentur Christum pro se mortuum non esse.

Hæc Remonstrantium Calvinianorum contra Fratres suos erat sententia prolixè in actis eorundem à pag. 281 ad 370 probata, in qua non procul abirent à veritate nisi in 3. Thesi nimium soli Fidei Historiæ vim, neglecta caritate dedissent & Baptismum omisissent in parvulis, vti viam salutis. Porro de Dei Gratia eiusq; operatione in Homine ijdem Remonstrantes A. 1619. 16. Dec. xii. exhibuerunt Theses parte 3. Actorum fuerunt pag. 1. exprestas, quas etiam usque ad pag. 183. comprobare aduersus ceteros Calvinistas allaborarunt. Sed eas ob materiæ illius subtilitatem omittendas octonas Theses cum posuissent easdem ad pag. 349. comprobantur Hæc obiter attingere necessarium fuit, vt ea, quæ ex Tridentino afferentur aduersus sectarios Concilio, elucescant, nec contra umbras definita putentur.

Quidam in his Calvinianorum tam Remonstrantium, quam Contra-Remonstrantium sententijs, de prædestinatione improbant Catholici.

CAP. V.

I. Iudicium de duabus sententijs Calvinianorum in Communi.

II. Iudicium de ipsâ magis in specie.

I. **V**niuersim Ecclesia Romana, vti sapientissima Ecclesiarum omnium mater, monente Apostolo optavit, vt à re tam ardua, qualis est prædestinationis, filij sui lacte opus habentes, extra Theo-

logicas Scholas & Concilia rite indicta, abstinere: & vt etiam hi ipsi, quibus ea de re agendi est potestas, magna sobrietate eam materiam tractarent: quin & prohibuit de aliquot, hanc materiam concernentibus quæstionibus, typis quicquam vulgari. Cui etiam prohibitioni sanctissime Magni in Ecclesia Doctores paruiffe noscuntur. Damnat igitur in vtraque Calvinianorum factione ausus temerarios, quibus illi in dæmoni illotis, vt dicitur, manibus sanctum attingere sunt ausi, dolereque tantam blasphemiarum copiam miseræ plebi esse in manus datam, dum in foro & muro, in transtris & forulis de tam grandibus mysterijs, aperto puteo abyssi disputatur vt plebes garrindo & errando & blasphemando aërem, id est Ecclesiam, ac solem Apocalypiticum (a) nempe diuinitatem, tanquam eriorum eclipsibus innumeris obscurant. Atque ideo eadem Ecclesia Romana spiritu Dei docta suos, & omnes pariter alloquitur (b) *Fili carissimas disputate de alia materijs, & de occultis iudicijs, cur iste sic relinquatur, & ille ad tantam gratiam assumitur: cur etiam ille tam eximia exaltatur. Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad inuestigandum iudicium diuinum, vlla ratio præualeat vel disputatio. Quando ergo hac tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Propheta: Inustus es Domine & rectum iudicium tuum, & iudicia Domini vera, iustificata in semetipsis. Et: Cum quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostrasset, hac intra se reuoluit dicens: Si scirem, quod adhuc perseueraturus essem! statimque audiuit diuinum responsum: Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod nunc facere velles, & bene securus eris. Moxque consolatus & confortatus diuina se commisit voluntati, & cessauit anxia fluctuatio. Hæc in commune cunctis suadet spiritus Dei, maxime plebi.*

2. Quid vero eruditioribus eadem Romana tenendum tradat Ecclesia, sobrie profus in Tridentino Concilio exarat Sess 6 cap. 12. tanta certè sobrietate, vt temerarium vulgus omnino in turborem det. Audiamus. Nemo, quamdiu in hac mortalitate viuatur, de arcano diuina prædestinationis mysterio, usque adeo præsumere debet, vt certo statuatur se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi respicientiam promittere

a Apoc. cap. 9. b Thom. Kemp. lib. 3. Imit. Christi c. 98. c apud eund. lib. 1. c. 25.

mittere debent: nam, nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus elegerit. His adiungo: ex eadem lesione Canones, ex quibus optime sese armabit, qui in hac palæstra cum Calvinianis confliget, ut neutra eorum factione perdatur.

DE IUSTIFICATIONE.

CANON I.

Si quis dixerit, e hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturam, vel per legis doctrinam fieri absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit. c. sup. c. 1. & 3. Rom. 3. 1. Cor. 1. 5.

CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari; ut facilius homo iuste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed agrè tamen, & difficulter possit, anathema sit. f. d. c. Milevit. c. 5. Conc. Afri. cap. 80. & c. ult. de cons. dist. 4.

CANON III.

Si quis dixerit, sine præveniente & Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut punire posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit. g. Conc. Araus. 2. c. 6. supra cap. 5. Rom. 5.

CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti in anime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.

CANON V.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sinere, figmentum denique, à se ut ana in vœtum in Ecclesiam; anathema sit. h. Vide Aug. lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 2.

CANON VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona. Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè. & per se, a deo, ut sit proprium eius opus non minus proditio Iuda, quam vocatio Pauli; anathema sit. i. Vide Aug. lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 3. & Prosp. Sentent. 14. ad cap. Gallorum, & respon. ad O. obiez. Vincent. Ioan. 1. Conc. Arausica num. 2. circa fi.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto cum gravius peccare; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, gehenna merum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit. k. Psal. 17. Luc. 12. & Marc. 9. in fin.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intellegat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum sua voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit. l. supra c. 1. & 2.

CANON X.

Si quis dixerit, homines, in sine Christi iustitia, per quæ nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse; anathema sit. m. sup. c. 7. Gal. 2. & 5. Epho. 1. & 4.

CANON XI.

Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inharcat; aut etiam gratiam, quæ iustificamus, esse tantum favorem Dei; anathema sit. n. Rom. 5.

CANON XII.

Si quis dixerit, o fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divine misericordie, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quæ iustificamus; anathema sit. o. supra cap. 9.

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, & absque ulla hæsitatione propria infirmitatis & indispotionis peccata sibi remissa; anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, p hominem à peccatis absolvi, ac iustificari ex eo, quod se absolvi, ac iustificari certo credat; an neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit. p. sup. c. 9.

CANON XV.

Si quis dixerit, d hominem renatum, & iustificatum tenari ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum: anathema sit. d Aug. c. 13. lib. de corrept. & gratia, sup. c. 12.

CANON XVI.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantia donum se certo habiturum, absoluta: & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: anathema sit. a Aug. li. de bono perfeu. c. 13. supra c. 12. & 13. Gal. 3. Ezech. 43.

CANON XVII.

Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut potes b diuina potestate prædestinatos ad malum: anathema sit. b Conc. Arauf. 2. c. 25.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, c Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit. c supra c. 11. i. Ioan. 5.

CANON XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos anathema sit.

CANON XX.

Si quis hominem iustificatum, & d quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesie, sed tantum ad credendum: quasi vero Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vite æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: anathema sit. d Similis error erat B. gardorum a Concil. Viennensi damnatorum sup. cap. 11.

CANON XXI.

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislator em, cui obediunt: anathema sit.

CANON XXII.

Si quis dixerit, b iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse. anathema sit. b sup. 13.

CANON XXIII.

Si quis hominem semel iustificatum dixerit c amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo cum, qui labitur, & peccat, numquam verè fuisse iustificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio,

quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit. c sup. 3. 14.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, d iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam auferri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augenda causam: anathema sit. o sup. c. 10.

CANON XXV.

Si quis in quolibet bono opere iustum, c saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri: tantumque ob id non damnari, quia Deus eius opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

CANON XXVI.

Si quis dixerit, a iustos non debere pro bonis operibus, qua in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo usque b in finem perseverarint; anathema sit. a supra c. 16. b Mat. 14.

CANON XXVII.

Si quis dixerit, c nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis graui & enormi præterquam infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti: anathema sit. c. 1. Cor. 6. sup. c. 15.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, qua remanet, non esse veram fidem, licet non sit viuua, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

CANON XXIX.

Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana, & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino, & eius Apostolu edocta, hucusque professæ est, seruauit, & docuit: anathema sit.

CANON XXX.

Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, e ut nullus remansat reatus pœnæ temporali exoluenda vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit: anathema sit. c Scil. 14. c. 8. & infra Scil. 25. in prin.

CA-

CANON XXXI.

Si quis dixerit iustificatum peccare & dum intuitu aeterna mercedis bene operatur: anathema sit & supra c. 12. in fin.

CANON XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse bona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita aut ipsum iustificatum bonis operibus, qua ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiae, vitae aeternae, & ipsius vitae aeternae, sit aumen in gratia accesserit, consecutionem atq; etiam gloria augmentum: anathema sit.

CANON XXXIII.

Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de iustificatione, à sancta Synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloria Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri, derogari, & non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

Atque est sobria Romanae Ecclesiae doctrina, quae reliquis subtilitatibus in hac materia ex Sp. S. dictamque definiendis manum habens prudenter admonere superfedat, nisi in eo qd S. D. N. Innocentius X. P. M. quaedam huc pertinentia, definire necessitas Belgii & Galliae coegit, quae non incongrue praemissis adnecto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, praesertim in Gallijs, controversia super quinque ex illis, Cōplures Galliarum Episcopi apud Nos instituerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expendere, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò praefatarum Propositionū est pro ut sequitur.

Prima: *Aliqua Dei praecepta Homini bus iustis volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda: *Interiori Gratia, in statu Natura lapsa nunquam resistitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu Natura lapsa non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione.*

tate sed sufficit libertas à Coactione.

Quarta: *Semipelagiani admittebant praeventis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei & in hoc erant Haeretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset Humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino Homini bus mortuū esse aut sanguinē fuisse.*

NOS, quibus inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex Alto commissa, purgatis pravatum Opinionum erroribus, turè militare, & tanquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestarum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis Portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter saepius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, eisdem Quinque Propositiones, uti supra Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relato maturè consideravimus, eisdemque Magistros varijs coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differētes audivimus.

Cum autem ab initio huiusmodi discussionis ad divinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventijs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus Assistentia, tandem Divino Numine favēte, ad infra scriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam praedictarum Propositionum: *Aliqua Dei praecepta Homini bus iustis volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Haeticam declaramus, & ut talem damnamus.*

Secundam: *Interiori Gratia in statu Natura lapsa nunquam resistitur: Haeticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in statu Natura lapsa non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione: Haeticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quartam: *Semipelagioni admittebant praeventis Gratia Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Haetici, quod vellent eam*

Gratiam talem esse, cui humana voluntas possit resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem sudasse, Falsam, Temerariam, Scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, Blaphemam, Contumeliosam, Divinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

An. à Nat. D. N. Jesu Christi M. DC. LIII. Indictione VI. &c. nona die Mensis Junij affixa & publicata Roma, ac deinceps per alias Christiani Orbis Provincias, ad quas pertrahebatur.

Hac damnatione perstricta est Gomaristarum doctrina, de quorum prompeuarijs & sententijs facta fuerunt ex Propositionibus. Etenim I. Propositio ab Innocentio X. damnata est Gomaristarum, quæ Remonstrantes damnant Actorum suorum parte 3. Thesi 6. & ostendunt pag. 33. à Gomaristis doctam esse, adductis verbis, forumque Authorum ex collatione Hagienſi pag. 57. & 209. Triglandio, Geselio, Calvino, Beza, Zregeſino, Piscatore, Dammanno, Donte-clockio, Thyſio, Martyre, Zanchio, Zeppero &c. Calvinianis.

II. Propositio damnata ab Innocentio X. etiam est Gomaristarum, uti ostendunt Remonstrantes Actorum suorum parte 3. à pag. 19. ex collationis Hagienſis pag. 207. & 208. Thesij, Triglandij, Dugauti, Dammanni, Smouti, Geselij, Zanchij, Donte-clockij, Gomari, Calvinique &c. Gomaristarum ipsissimis verbis, & amplius à pag. 50. ibidem probant à Gomaristis doceri: damnantque Thesi sua.

III. Propositio ab Innocentio X. damnata est eorundem Gomaristarum, qui inter Antelapsarios, & Sublapsarios mediam sententiam inducere voluerunt, dicendo Homines eo quod à Deo ad malum seu peccatum non cogantur, sed solum alligando vel arcana voluntate necessitentur, libere satis peccare, & esse inexcusabiles à damnatione &c. ostendunt id & damnant Remonstrantes in suis Fratris Calvinianis tum alibi, ut Actorum suorum parte 3. à pag. 71. tum parte 2. pag. 1. ubi irident eos qui sperant illo effragio se posse efficere, ne dicatur Deus ad peccata cogere, si solum arcano modo & voluntate necessitet homines ad peccatum.

IV. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam fuit Gomaristarum, ut patet prolixissime ex Actis Synodi Dordracenſis, in qua Gomaristæ prævalentes, fratres suos in Schola Calviniana sob id

quod docerent Gratiam Dei talem esse, cui humana voluntas possit resistere, damnarunt, & Semipelagianos idcirco vocarunt.

V. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam est Gomaristarum, uti patet ex parte 2. Acto: tum à Remonstrantibus editorum à pag. 189. ad pag. 170. maxime à pag. 187. ubi Remonstrantes suorum Contra-Remonstrantium verba incipiunt adnumerare, quibus impiè doceat Christum D. N. non pro omnibus hominibus, sed solum pro Electis seu prædestinatis fuisse passum.

Haber igitur Romana Ecclesia hanc gloriam, quæ uti à suo Episcopo Innocentio I. vidit damnatos Abnegatores Gratia hæreticos Pelagianos; ita à suo Innocentio X. viderit oppressos, alios hæreticos, qui Gratia affixerunt irresistibile & necessitate, & habet Ecclesia Catholica errandi, quæ caritate scindendi periculis paternaliter liberata, unde patri suo amantissimo semper gratias agat memoriamque eius in benedictione conservet sempiternam.

De Confessione Belgicarum Ecclesiarum & quænam circa eam acciderint.

C A P U T V I.

- I. Confessionis illius Argumentum, origo, & probur.
- II. Summarie contenta in ea Confessione dogmata.
- III. Errores graves in ea Confessione admissi.
- IV. Quod hos errores Armeniani seu Remonstrantes agnoverunt.
- V. Dei Providentia & in Ecclesiam Catholicam beneficentia in eo quod permisit Remonstrantes opprimi à Gomaristis.

I. Confessio Ecclesiarum Belgicarum, pluribus Gallica An. 1562. Belgica sæpius, Latina, Germanica imo Græca etiam linguis edita, constat XXXVII. articulis cõplectibus ut Titulus ait, summam doctrinam de Deo, & æterna animarum salute. Non est autem arbitrandum, quasi olim Belgarum Ministri, aliquando in unum locum congregati, dogmata huiusce Confessionis inter se collata, maturè deliberatione, & Doctorum hominum oppositione aut examine multo præmissa, demum consentiendo unanimiter concluserint, & populo credenda tenendaque proposuerint, uti in Sacrosanctis Ecclesie Catholice Concilij fieri cõsuevit, & novissime in Trid. factum fuisse cõstat; sed omnia Confessionis illius dogmata & eorum methodus, non est aliud quam privati doctoris in museo reformatæ Theologie conceptum temere opus, siquidem hæc po-

Ita.

Ita mutatum correctumque uti diversa exemplaria conuincunt) & quidem furtive, ex Gallica Calvinistarum confessione (a) qua A. 1561. dicitur Carolo IX. Regi oblata esse, subiecta, quo ad sensus plures, etsi Belgica verbosior sit, & magis garrula. (a) In publicam tamen protulit opus hoc, primo vnus alteriusue Ministri, minus sapientis admiratione laudatum, postea plurimum, & que parum sapientium, accessione approbatum in vulgare sensum vsu inductum est. & specioso nomine Ecclesiarum Belgicarum fuit inuestitum. Sed & si omnium Ministrorum confessione ea confessio fuisset integris aliquot annis expolita ac decreta, nullam tamen maiorem vim certitudinemque obtineret, quae cuiusdam Conspirationis, sine legitima autoritate conflata, cum in rebus Diuinis, nemo habeat potestatem ordinandi, nisi ei sit desuper legitima traditio concessa, de qua legitima traditione potestatis in diuinis, aut animarum regimine sibi concessa, nemo Reformatorum Ministrorum haecenus vllum hominem valuit edocere, aut quenquam reddere securum, ut ipsi agnoscerent, & facti sunt tot iam annis exagitati. A quois grandis provocatio ad speculum veritatis. (b)

II. Porro Confessio illa Belgicarum Ecclesiarum, continet multa dogmata, de quibus ipsi Reformati nesciunt, an sint ad salutem necessaria scitu multo minus, an sola haec sint explicite scienda; & multo adhuc minus, an sint Norma fidei saltem secundaria? (nam prima Norma omnino apud eos esse debet scriptura sacra) sed & alia quam plurima sunt in ea confessione, de quibus ipsi responderi nesciunt. Praecipua vero dogmata perditionem animarum concernentia in dicta confessione sunt, quae declarant quodnam sit Verbum Dei seu scriptura diuina art. 3. 4. 5. 6. 7. ad quam, veluti ad Regulam confessio illa Fidem nostram iubet exigi, enumeratque tum libros Canonicos, tum sua privata opinione Apocryphos. Deinde ex hac ita determinata scriptura art. 8. 9. 10. 11. eadem confessio narrat quid de Deo Patre, Filio, Spirituq; secundum se, credant Reformati, tum quid de eodem, ut creatore & gubernatore omnium art. 12. 13. 14. deinde quid de Adami peccato & repromissione ei facta, & impleta per incarnationem D. N. I. Christi tenendum sit art. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Etiam quid Redemptor nobis praestiterit boni art. 21. & 23. & quomodo nobis applicetur istud bonum, siue ipse Christus Dominus, nempe per Fidem solam, art. 24. 25. quantumque per eam solatium habeant Reformati in Christo art. 26. Dicit etiam aliquid eadem confessio de Ecclesia Catholica, quid sit agatque, quamque

sit necessaria, & unde nosci queat & quas habeat Rectores nempe Ministros Seniores, & Diaconos instar Senatus. Ciues autem Dominos instar Magistratus dicentis, dummodo ex Ministrorum arbitrio decernant & agant ab art. 27. ad 33. item 36. & 37. denique de Sacramentis duobus, solis vlt. Baptismo & Coena articulis 34. 35.

Atque ita Finis Confessioni imponitur, omittis plurimis, quae necessario creduntur, uti carnis Resurrectio, quae agi oportet, ut Oratio, & quae obseruanda sunt uti Praecepta Dei, ut iure meritisimo pars ipsorummet Reformatorum, in speculum tanta imperfectione huius confessionis, tantaque lubricitate & falsitate dogmatum in ea contentorum, etiam secundum domestica principia Reformatorum, eam tamquam stupidam & insulsam damnarit, & per scripturam sacram emendare seu eius errata demonstrare ausa fuerit, unde Remonstrantes ab aduersaria parte, qui Confessionem erraticam mordicus defendendam suscepunt, iidem appellati.

III. Nolo hoc loco Confessionis antedictae errores ex Catholica Ecclesia principijs propalare, ac conuincere, sed solum ex ipsis Remonstrantiu nempe fratrum suorum Scriptis, inter Acta sua editis, idque quam breuissime. Igitur limatiotis ingenij, quam caeteri, crassiores & obesae naris Reformati, Doctores Remonstrantes conquesti sunt.

S. Confessionem illam Belgicam, a se ipsa in diuersis exemplaribus, quae tamen pro authenticis omnia habeantur, discrepare, inde euidenter esse, non illam spiritus sancti, qui in se suisque dictatis perpetuo constans est, fuisse dictamen, sed ingenij humani paulatim proficientis, & errores suos deprehendentis & mutatis partu. Asseruerunt proinde iidem in eubere Synodo Reformataru Ecclesiaru, ut determinet, quodnam sit genuinum exemplar, ex quo Fide debeant cohereri, tam vulgus quam Praedicantes eorum.

2. Confessionem eandem multum discrepare a Confessionibus aliarum Ecclesiarum Reformatarum in Helvetia, Gallia, Palatinatu, Anglia editarum. Exempli loco, Belgica Confessio art. 29. confitetur, tertiam notam verae Ecclesiae esse, Si disciplina Ecclesiastica, ut vitia corrigantur, obtimeat & huius disciplinae

Bbb 2

a Videndum Geneva A. 1612. vel etiam alibi editu Corpus vel Syntagma Confessionu Fidei, quae in diuersis Regnis nomine Ecclesiaru fuerunt edita. b Authore P. Ludoco Ked Soc. Iesu Sapiu in Germ. edito, ad quod speculum obtulerunt; vel si locuti, delirare conuicti sunt tam Calviniani quam Lutherani Respondentes.

pliaz robor art. 31. fateatur imprimis consistere in *Excommunicatione*. Jam vero notorium est multas Reformatorem Ecclesias, nominatim Helveticam carere disciplina eiusmodi: unde consequitur Helveticam Reformatorem Ecclesiam, secundum Belgicam Confessionem, non esse veram Ecclesiam, & tamen pag. 11 Actorū Synodi Dordracenae quatuor Reformatorem ex Helvetia Rerumpub. Ministri, ut veræ Ecclesiæ Doctores admissi fuerunt, & in Synodo sententiam dixerunt cum hæc Confessionistis.

3. Ministri Hollandiæ compellunt iurare in verba Confessionis, & multi iurant, cum tamen *seculum Verbum Dei sit norma Fidei*, & ipsa Confessio art. 7. dicat. *sacram Scripturā perfectā cōplecti & quodcūq; credi necesse est, in illa sufficienter edoceri*, aut igitur Confessio ista est ipsa Scriptura. S. quod est evidenter falsum, aut est epitome Scripturæ, quod etiam est evidenter falsum, cum maior pars sententiarum & verborum in ea positorum non sit descriptura, imo contra eam pugnet. Itaq; Reformati Belgæ, admittunt novam credendi Regulam præter Scripturam saltem veluti *Normam secundariam*. Hoc si concedunt, quidni maiore iure Pontificij pro Norma secundaria teneant, uti semper tenuerunt, Conciliorum definitiones & SS. PP. consentientem doctrinam à tempore Apostolorum propagatam, quæ centesima parte non pugnant inter se, quantum Confessio brevis secum & cum scriptura. Audiant igitur Belgæ Canti' enam suam *Non additis & c. ex Deut. & Apocal. maledictionem latam in apponentes ad scripturam*.

4. Multa esse in Confessione illa imprudēt, seu temere, multa falsè, multa secum ipsis pugnantia posita, in quæ tamen iurare, ut bruta, compellantur. Exempli gratia, Imprudēt asseritur art. 4. Libros Scripturæ Canonicos esse eos quibus nihil possit opponi. art. 5. cæcos ipso contactu deprehendere, quod ea eveniant, quæ in scriptura prædicuntur, & ideo absque ecclesiæ iudicio posse scire quod scriptura sit Dei verbum. art. 7. Imprudentissime allegatur textus ex Rom. 3. 4. & psal. 61. 10. *de omnium hominum mendacitate & varietate* (contra Concilia, Decreta, Statuta & successionem in Cathedra Apostolica super S. Petro fundata) dum addit, *ex seipsis* (seu ut habent alia exemplaria *ex sua natura esse tales*) nam Catholicis, contra quos textus illos allegat author Confessionis numquam alluerunt, firmitatem decretis, Conciliisque inesse ab hominibus in se ipsis vel natura sua spectatis, sed in promissa Ecclesiæ & imprimis S. Petri successoribus *assistentia indefectibili Spiritus S.*

Falsa vero ista, cum art. 12. & sequentibus author Confessionis agens de creaturarum productione à Deo, *Deum Opt. Max. facit Antelapsarium in prædestinatione sua* id est ab æterno, ante omnem prævisum exitum in Adam lapsum, certos homines nominatim elegisse ad vitam æternam, ut sibi inferuirent, ut vasa seu instrumenta ad ostendendam suam gloriam in misericordia sua, multo vero maximam partem hominum æterno exitio & ineluctabili miseria addixisse, ut ostenderet in eis, uti in vasis, gloriam suæ severitatis itæ & potestatis in cruciando. alibi vero eundem Deum ac Dominum facit *Sublapsarium*, id est ex genere humano considerato ut lapsus in Adam, certas quasdam singulares personas nominatim elegisse ad salutem puro meritoque placito suo; nulla habita ratione respicientiæ, fidei, aut obedientiæ per gratiam recuperatæ, & eas in evitabilior ad ostendendum divitias misericordiæ suæ in illis produci ac promoveri ad dictam salutem. Reliquas personas singulares eiusdem generis humani ad ostendendam severitatem suam deici velle. In statu lapsu relinqueret, nec à damnatione nec à peccato inquam liberare & pro his Christum Dominum non esse passum, nec Deum voluisse ut eis eius passio prodesset, sed nec gratiam ullam salutarem concedere aut largiri.

Eisdemque tamen velit vocari ad gratiam per vocationem externam, cui debeant & non possint non reluctari, eo sine ut tanto magis obæcentur, indurentur & gravioribus criminibus implicati, gravioribus penis implicentur, & c. Hanc sententiam Authorem Confessionis illius Belgicæ passim variis verbis inculcare, aut supponere, eo qd scribaralia, quæ, nisi illa possantur, non subsistunt patet. Hinc art. 12. de creaturis dicendo, *earum productas ut creatori suo inferuirent*, talem servitutem intelligere. Item dicendo, *creavit angelos eosque bonos, ut nunciij eius essent; alios in perditionem ab excellentia sua lapsos*, vane causam bonitatis in illis, & perditionis in his subtrivisse, nempe meritum & demeritum, ut Deum in ipsorum quoque creatione Antelapsarium posset efficere prædestinatorem. Aliaque eiusdem generis de ijs inculcare, abstinendo à mentione peccati, & usurpando nomina *perditionis, corruptionis, condemnationis æternæ*; & quæ in damnatis Angelis malitiam agnoscat; non esse aliam quam in qua creati sunt vel quæ præcipitationem eorum decretam, damnationemque secuta est, nempe *quod Dei omnisque boni hostes sint*.
Eccle.

Ecclesia & membris eius infideliatur, veluti pradones &c. & ideo indies magisque horrenda tormenta eis infligi, Eandem ob causam articulo 13. Confessione, auctorem usurpare nomen Ordinationis dicens quod in hoc mundo nihil absq. ordinatione Dei eueniat, nempe lecto rē inducendō tā in sensum reprobū, quod scilicet omnia ex ea Dei ordinatione fiant, quā ut necessario fierent decreuit, quā in sensū aliū bonū ordinationis, quā quādā permittere decreuit, & quā dū ut necessario succedant. Haec vātrā usurpationis intentionem prodidit auctor idem, cum auctō dicitis subiungens latendī gratia (quamuis Deus peccatorum, quā fiunt, neque auctor neque rebus sit) confessionem ea addit, quā aliter proxime dicitis apte subiungi nequeunt, nisi ordinandī vocem in pessimo significato exponas. Subiungit enim mentioni de peccatis ista. Tanta enim tamque incomprehensibilis est ipsius (Dei scilicet) potentia & bonitas, ut opus suū optime iustissime ordinat & exequatur etiam cum & diabolus & impij iniuste agunt. Quā vero ita agit, ut humanum excedant sensum in ea nolumus curiose ultra quam fert captus noster inquirere. Quin imo omni animi submissione & reuerentia occulta nobis iudicia Dei adoramus &c.

Hic est ille sermo iniquitatis, qui cum Deum fecisset & transformasset in Antelapsarium prae destinatore pro Schola Calvini, eundem ne tyrannus appareat, vel dāmon, facijs reuerentia, & submissionis inuoluit, ut Christianus populus iudificatus & qui uocis, pro Deo vero dāmonem adoraret. Per uiderunt hanc vātrā Gomaristicā, Doctores ipsi in Schola Calvini, dicit Remonstrantes, eamque non ferentes ductu naturalis luminis in parte doctrinae de praedestinatione à Fratribus suis seu collegis resisterunt, & Catholicorum dogma turum de praedestinatione sunt amplexi, bellumque tam Confessioni huic, quā est subuersio, quam eius tutoribus aliquāto animo indixerunt, collectis ad singulos fere Confessionis istius malae articulos Notus & Animaduersionibus, aliquāto in synodo & qui iudicij viris proponendis.

Haec Animaduersiones sub nomine considerationum iisdem Remonstrantes in Actorum suorum prima parte tempore synodi Dordacena A. 1610. produxerunt, & cum istis Actis ediderunt à pag. 80. ad pag. 99. legendas. Istic quilibet leger prudenter limitationes & cautelas verborum, quibus imprudenter vitur Confessio Veluti articulo 13. citato admodorelecta verba: Tanta enim tamque incomprehensibilis hi prudenter addi optant Deum neque per malitia infusionem, nec alio suo interno suo externo

impulsa aut gratia subtractione creaturis necessitatem imponere tale opus efficiendi, quod sine peccato praestari nequit & creaturas in talibus opibus non instrumenta mera Dei, sed operis praecipua esse. It. causa ad verba illa: Haec doctrina de ordinatione diuina ineffabilem nobis affert consolationem, dum ea erudimur nihil nobis fortuito nec sine optimi patris nostri & caelestis voluntate euenire posse, Remonstrantes omnino suadent addenda verba, per quae excludatur peccatum, si ne voluntate patris illius imo contra eum contingens. Erratus ad verba sine eius (Dei) permissione venia, concessione (ita enim diuerse expriment in diuersis exemplaribus) & voluntate nobis Diaboli omnesque inimici nocere nequeant ineffabilem adferre consolationem. addunt prudenter Remonstrantes, non est valde magnum solatium, quod diabolus nobis sine voluntate Dei nocere non possint, nisi addas & illud, Deum vero nunquam permittere ut nocent, aut si permittat, id cum nostro permittere emolumento. Iidem magnum errorem notant ad 14. articulum, ubi Confessio proficitur quod Deus ex terra puluere hominem creauit, quo loco si Confessio velit animam humanā de potentia materiae ductam, patet quātus inculcet error, ideoque oportuerat, ut corporis efformati, & animae creatae distincta conficeretur mentio. Admirantur autem Remonstrantes dum considerant quod confessionis auctor cum art. 12. de creatione, & 13. de providentia Dei in regendis creaturis etiam nomine egisset, iterum 14. art. ad creationem Hominis relabatur, habentque iure suspectum, quasi auctor in 12. & 13. articulis de decreto in mente diuina egisset, 14. autem executionem decretorum diuinorum etiam obvolueret esset conatus ut Antelapsario inueneret blasphemiam, qui modus agendi dolosus à genio hominis Caluiniani, praesertim accusantibus eum fratribus suis non abhorret, & postea Remonstrantes perspicit ostendunt, cap. octauo, Ridicula verem facit idem auctor Confessionis, cum eodem articulo 4. assentit Homini de donis à Deo acceptis (nempe bonitatis, iustitiae & sanctitatis, & potestatis componendi se arbitrio suo ad voluntatē Dei per omnia, quae predicauerat ei donata) post lapsus tantum exigua quaedam illorū vestigia (alia exemplaria habent, scintillas remansisse, quae tamen sufficiant ad eum reddendum inexcusabilem: & Mox eodem pene halitu ait: quidquid in nobis lucis est in tenebras uersum est, ut Scripturae nos docet dicens, Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehendunt, ubi S. Ioannes Homines tenebras appellat. Ridicula, inquam,

sunt hæc, quoniam & pugnantia sunt & pessime è scriptura probantur. Quomodo enim si homines meræ tenebræ sunt, nihilominus scintillæ sunt, aut exigua vestigia donorum Dei? aut si sunt meræ tenebræ, quomodo non excusabiles sunt de non lucere? Fatua sunt igitur ista assumenta. Omitto quod ibidem peccatum Hominis multo magis risu digna definitione depinxit, dicens non esse aliud quam *quodcum homo in honore esset nõ intellexit* &c. quod ipsum Remonstrantes ut plurima alia exprobrant, quæ prætereo, cum ex paucis adductis in medium cuius futilitas Confessionis Belgicæ iam tum innotescere possit, cuius occasione in Hollandia Schisma fuit inter Calvinistas meritisimè constat.

V. Elucet ex hinc singularis Dei in Ecclesiam suam Catholicam providentia, qui ex ipsa Schola Caluini Reformatam in Cathedris Ecclesiarum Catholicæ populo ereptis excitavit eis aduersarios & euersores impiæ Confessionis, sinens eos, ut hinc & inde stantes acies concurrere bello tanto, ut toto Europa ad spectaculum fuerit excitata, de cuius belli decursu cap. s. agetur. Interea votum esto, ut diuinæ providentiæ consideratio continuetur, à qua etiam illud est gloriosum Ecclesiæ Catholicæ gestum, quod cum se Remonstrantes Calvinianis Antagonistis suis opponere cœperunt, ipsi met non de suo paupere penu, sed de Romanæ Ecclesiæ armamentario arma aduersus hostem valitura, sumere debuerunt. Testatur hoc ipsi Remonstrantium antagonista qui eisdem questi sunt de Fratribus suis, quod è Iesuitarum libris Suarezio, alijsque Papistis argumenta sumpsissent, ad sese Confessionemque suam suauem oppugnandam, quæ tamen argumenta, non rationum momentis aut (scriptura. cæt opere semper sibi clara, & diuine & sufficiente, & illuminante) sed civilis potestatis violentia terundere debuerunt, imo opprimere, quæ in re iterum diuinæ providentiæ radius pulcherrimus elucefcit, dum iustam causam & bonam in Remonstrantibus ut ostendam oppressis, nõ permisit triumphare, ne contraheret sanctitas Catholicæ doctrinæ vllam ex hoc infamiam, quod per hæreticos fuisset defensa. Etiam, ut mali defensores eius intelligerent se frustra armis Catholicorū pugnare, qui nolint cum iisdem in iisdem eorum castris, nempe Ecclesiæ eadem viuere & militare. Cesset iam ab animis Catholicorū admiratio ista: cur in Remonstrantibus bona causa fuerit à Contra Remonstrantibus potenter oppressa!

De Catechismo Reformatarum Ecclesiarum,
& quæ circa illum euenerunt.

C A P. VIII.

- I. *Author Catechismi Reformatarum ad Rhenum Ecclesiarum siue Heidelbergensis.*
- II. *Eiusdem Catechismi Synopsis.*
- III. *Eiusdem absurda quinque in I. questione eius & Responsione deprehensa.*
- IV. *Similia plurima ex alijs questionibus eius & Responsis delecta.*
- V. *Quomodo idem Catechismus à Catholico scriptore fuerit festivè explosus.*

I. **A**uthor Catechismi Palatini seu Heidelbergensis fuit Zacharias Ursinus Vratislauen-
sis in Silesia natus. Siquidem pater eius Casparus Beer (Latine Ursus) quondam pædagogus in Austria, exactus inde Vratislaviæ confidens Ludimagistrum agendo notham duxit, ex qua Zachariam istum suscepit An. 1534. 18. Iulij. Volo honestissimè eius vitam commemorare, ex Fratre eius in fide Festo Hommo, ne queri possint Reformati affectibus cum eo actum esse. Anno igitur 1550. VVittebergam ad Studia literarum missus, mercatorum quorundam elemosinis ibi vixit, audivitque Philippum Melancthonem, cum quo An. 1553. pestis metu, expulsus VVitteberga Torgam secessit. Cum autem Melancthon paulo post alio inde esset euocatus. Ursinus ad Rheni partes contendens per Helucios & Lothannam & Genavam peruenit, ubi Caluini auditor factus ex Lutherano, vel Melancthonico factus est Calvinianus. Discedensque à Caluino librarijs munusculis, quibus se aliosque inficeret, est donatus; ipse vero Hæreses tam à Melancthone quam Caluino hausas partim immutatas fouit, partim aliter coxit. Genava autem recedens Lugdunum Galliarum, deinde Parisios profectus, Vratislauenium fere impensis, ibi Ioannem Mercetum Hebrææ linguæ professorem, audiendo aliquid profecit. Inde per Helucios, Tigurum imprimis, hæreticis nobilem urbem, transiens, per Sueuiam Vlmam atque Tubingam, Norimbergamque ac Franconium, redijt VVittebergam ad veterem hæresis Magistrum Melancthonem

tionem, apud quem indies conversabatur, tanquam Calvinismi non iniquum sodalem vti de eo Lutherani conqueruntur & Calvinus Epistolis ad eam datis non obscure significavit. Apud hunc cum agit An. 1558, à Senatu Breslaviaensi ad Regimen Scholæ S. Elisabethæ, unaque Philosphiæ ac Theologiæ initia tradenda evocatur, in qua ita versatus est, ut ovis in pelle tectus lupus aliquando tempore laruerit, & grassatus fuerit: Sed cum ad cœnæ Lutheraniæ & Calvinianæ materiam explicandam Methodo pervenisset, quisnam esset, plane est detectus, nam scripturas torquendo, & Veteres Doctores mutilando & Melanchthonem ipsam hæcendo, ad sententiam pro Calviniano sigmento dicendam omnes cogebat. Vnde confessum à Lutheranis est veluti Sacramentarius ex loco profligatus, sensitque sero Senatus, & reliqui se colubium & Vrsinum, tum domi, tum in exterris regionibus aluisse, qui tunc quidem rapere, nunc autem mactare occiperet. Voluit nihilominus tam patenter deprehensus Leo, se Afini exuijs velare, dendo Theses declarantes mentem suam, de baptismo & Cœnâ, quas ad Melanchthonem transmissit: sed Melanchthon, intellegendis quæ acciderant, vase utriusque parti velificari volens, ei suavit, *ut caute perseveraret in Orthodoxa doctrina, & si istis locorum non posset subsistere, discederet, us VVittebergam rediret.* Videns igitur Vrsinus omnium a caua pectoris sui detecta An. 1560. 14. Iunij Vratislavia discessit, & VVittebergam redijt, vbi eodem anno paulo ante reditum hunc obijerat Melanchthon 16 Febr. qui damnatam & anathematizatam ab se doctrinam Sacramentarium Augusti A. 150. extremo vite tempore paulatim plus & amplius visus erat proficere, ita ut Palatinus Elector Otto Henricus paulo ante mortem eius, Melanchthonem consulens, de controversia cœnæ Heidelbergæ, inter Doctores suæ Academiæ Petrum Boquinum & Guilhelmum Clebitium Calvinistas ex vna, & Heshusium ac Lutheranos ex altera parte, oborta, literas receperit magis fauentes Sacramentariæ opinioni quam Lutheraniæ. (a) Vnde etiam Palatinus mox in Calvinissimum fuit præcipitatus. Nam Otto Henricus Consilium Melanchthonis secutus, Heshusium & Clebitium capita factionis ortæ quidam amadavit, & Calvinistas exinde introduxit & fovit. Vltus fuit tunc Melanchthon se ipsum ex animi sui desiderio aduersus Heshusium, is enim Elaccianus erat, quod genus hominum inter Lu-

theranos, Philippo errat insensissimum, ita passionum a bitrio, apud Novos illos Evangelicos, susque deque vertebantur omnia. Cum igitur VVittebergam redijt Vrsinus videret ibi omnia Lutheranis oppleta, professionem eo loco inter tot oculos & aures aduersaturus ordiri metuens, ad Sacramentarium nidum Tigrum in Helvetios 2. Octob. redijt, vbi à Petro Martyre vel pseudo-Martyre potius & Bullingero, Simlero, Lauarero, Gualtero, Gesnero, Enlio & similibus hominibus est exceptus, tanquam ex castris inimicorum Transfuga, & in Synodo quadam Specimen suæ hæresios dare iussus, dedit. At cum per literas Heidelbergæ datas à Thoma Basso Medicinæ Doctore professor Sacramentariæ factionis eo evocaretur Vrsinus eo & sua & aliorum voluntate est profectus, qui An. 1565. 19. Sept. eodem perveniens in sapientiæ Collegio cepit docere, concionandi vero munus ad quod non adeo aptus erat, delatum refugit. Docuit istuc *Locos Communes* annis quinque, donec ei Hieronymus Zanchius successit, qui An. 1568. 12. Febr. doctorem suam est auspicatus. In hoc contubernio cusus est Heidelbergensis Catechismus nempe Petri Boquini, Emmanuelis Tremellij (hic Sacramentariam; ille Novum, hic vestus interpretabantur) & Hieronymi Zanchij (qui Locos Communes quasi Scholasticam Theologiam docebat) Editus fuit primo Catechismus ille nesciendus, sine exegefi, quæ postea adiecta est, cum Flaccius Illyricus, Heshusius & alij eum refutare inceperant. Sed & idem Vrsinus cum Boquino An. 1564. mensè Aprilis, cum Brentio & Smidelino collocutus est in Colloquio Maulbrunnensi, indicto ad componendas controversias inter VVittebergicos & Palatinos Theologos de *Vbiquitate* tunc nato errore. Idem Vrsinus à Friderico III. Electore Palatino in Ambergenfi ac Neostadiana Gymnasis fundandis est adhibitus, evocatur eum quidem Bernates Helvetij ad Cathedram Losannensem, sed eam suavis Electoris recusavit. Verbo absoluit. Doctor erat qui neminem sui cerebri dogorem nancisci valeos, diu graves labores sustinuit solus docendo, donec Belgam quendam, Iacobum Kimedontium assecutus est, sibi placita loquentem, in quem

oneris

a VVitenberg. vita Melanchth. cap. 14. n. 7.
pencerus Narrat. de Melanchth.

onoris parte relicta vxoria rei operam dare cepit Anno 1573. tanquam essentiali parti doctrinae Acatholicæ. Stetit in hoc secundo fortunæ cursu Vrsinus vtque ad Annum 1577. cum defuncto Frederico III. Electore Palatino Calviniano, Ludouicus IV. filius eius successor, Lutheranis addictus, Calvinianos Doctores profligauit, & in his etiam Vrsinū ac Kime doncium qui 10. Octob. Heidelbergam relinquere coacti sunt. Vrsinum tamen in Neostadianam Scholam vsa cum Hieronymo Zanchio euocauit Ioannes Casimirus Calvinianus secundo genitus Frederici III & frater Ludouici IV. A. 1577. vbi seq. A. 3. Maij professionem suam exorsus est, quo tempore & Haïam interpretatus est, & aduersus Lutheranos *Librum Concordiæ*, edidit *Admonitionem Neostadianam*, Hæc ageotem demum mōts A. 1583. 5. Martij abstulit, ætatis suæ An. 49. monumentum ei Neostadij positum est in choro principalis templi. Atque hæc de Authore Catechismi Heidelbergensis sufficiunt, ex quibus patet Hominem fuisse mutabilem, & proprii iudicij seruum, & qui patriam suam simulata religione perdere sit aggressus & ingratus.

II. Hæc fuit igitur Catechismus, Latino, Gallico, Germanico, Belgico imo Græco Linguarum idiomate exesus, ac forte pluribus, quæ mihi videre non fuit datum, continet autem huiusmodi ordinem doctrinae initio quaestiones duas habet *PROŒMIALES*, de *Maxima Solatio Reformatarum*, & de *medijs seu scitu necessarijs*, ut illo *Solatio Reformati frui possint*. Deinde *TRACTATVM* seu corpus (in Latino. Græca editione A. 1635. Lugduni Batavorum) in tres partes seu titulos dissectum, primus de *Miseria hominis* à quaest. 3. Alter est de *eiusdem Liberatione* à quaest. 12. Tertius de *gratitudine*, à quaest. 86. Harum duæ posteriores partes rursus in alias minus principales dissectæ sunt, nimirum secunda quæ est de liberatione Hominis continet doctrinam, de *Satisfactione*, & *Mediatore*, & *Fide*, *Symbolo Apostolico*, de *que Sacramento*, & eorum appendice, nempe de *clauibus*. At tertia, quæ est de gratitudine, continet doctrinam de *Hominis conversione*, q. 88. seu mortificatione Veteris Hominis q. 89. & viuificatione Hominis noui q. 90. & de *bonis operibus* q. 91. & *preceptis Decalogi* q. 92. & *precazione Dominica*, q. 116. ad 129. seu finem. Hæc est ipsissima Methodus Catechismi Reformati, contra quem ipsi Reformati plurima obiecerunt, quæ

in Remonstrantium Actis videre licebit lectori, cui elegendi est potestas. Aiunt enim in hunc modum. *Eccæ Catechesis illa prædicat & inculcat q. 1. Maximum in vita & morte Solatium, mox q. 3. oblita sui in immanem nos deturbat miseriam, ex qua emergere non possumus nostris viribus, & paucissimi saluentur. Deinde parte secunda agit de pulcherrima per Christum Dominum Liberatione gratiosissima sine omni nostra cooperatione, mox oblitus sui author, parte tertia requirit ab homine & conuersionem, & mortificationem Veteris hominis, & viuificationem noui, & bona opera, & preceptorum obseruantiam & præcautionem, quasi Liberatio Christi sine his non valeat. Imo in ipsa parte oblitus sui, ait per prædicationem & Ecclesiasticam disciplinam debere homini aperiri regnum Dei, quasi Christus non satis aperuerit, sed quasi conuiuere fecerit. Ex quibus paucis patet quem misere impingant, suomet iudicio, qui aduersus Ecclesiam Christi, columnam veritatis conati sunt sapere, & quomodo dicentes se esse sapientes stultificati sint.*

III. Porro idem Catechismus, uti ipsimet Reformati annotarunt & typis ediderunt, suoque Concilio Nationali exhibuerunt, continet plurima *Imprudenter dicta, periculosa asserta, fatua, falsa & pugnancia tum inter se, tum etiam cum sacra scriptura. Quod ut perspicuum fiat ostendam vel in sola q. 1. & Resp. eius ista omnia accusationis capita contineri.*

Primo Imprudenter dictum est quod statim primo quaestione docetur Catechumenus Solatium quaerere, cum non sit hoc finis hominis, aut medium salutis æternæ, sed potius scientia Veritatis, & Executio boni, & hauritatio Crucis iuxta illud psalmi 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*, & 2. Tim. 3. *erunt homines se ipsos amantes, cupidis &c.* quæ capite illo toto dicuntur, ea enim aduersus quaestionem hanc primam Catechismi & Responsum eius dicta è incedunt. Longe aliter Christus & Apostoli prædicationem suam orbi sunt dicentes: *penitentiam agite &c.* Sed & in eo Author Catechismi impudens est, dum eadem quaestione quaerit de Solatio cuiusuis hominis, & respondet solum de Solatio, quod solum homo fidelis, iuxta Calvinistas, habere potest.

Secundo continet Periculosa asserta, tale est dum in Resp. ad q. 1. dicit Reformatus se tenere, quod non solum sit Dei cum anima, corpore & pilis omnibus suis, sed quod omnia oporteat etiam salutis suæ seruire, vbi Calvinistæ ipsi quaerunt sic ex Fratibus

tribus suis (a): Annon verba illa, occasionem cuiquam præbere possint cogitandi & statuendi, nec peccata quidem salutis ipsius Officere posse, præsertim cum non desine comminantes, qui in hunc ipsum locum ista scribere non vereantur. Eoque præter illa verba aliquo modo restringi, ne securitati fenestram aperiant.

Tertio continet eadem i. quæstio Fatua, pro exemplo sit, quod docet respondere Catechumenum hoc esse Vnicum suum in vita & morte solatum, quod omnibus hominibus etiam Turcis & Iudæis est commune, nempe i. quod animo & corpore sit Dei, hoc siquidem etiam de Turcis & Iudæis est verum 2. quod ipsum redemerit Christus, quod etiam de illis verum est, etsi redemptionem non usurpent, 3. quod pilus de capite Calvinista non cadat sine Patre caelesti, id etenim nec fit de capite Turcæ vel Iudæi, 4. quod oporteat ut omnia salutis Calvinista seruiant, enim vero id oportet quoque fieri Turcæ & Iudæo, ita enim Deus intendit ab initio, etsi non semper ita fiat, ut neque Calvinista, quæta enim sunt Calvinista, quæ salutis eius non seruiunt! etsi seruire deberent, siquidem ipse sibi destruit seruitutem, ad salutem, quam multa sibi seruitura fuissent, quemadmodum igitur ex his præmissis Catechismus ille Calvinianus docet inferre; quod ob hæc præmissa fiat certus Spiritu Dei de Vita æterna, ita quoque Turcæ & Iudæi securi sunt, sine dubio de Paradiso æterno, ex iisdem præmissis, & æque imò plus quam Calvinista sunt prompti & parati, ut Deo vivant, nam utriusque bona opera præter promptitudinem illam à se exigunt, & præstant, quæ idem Calvinista, se omnino præstare posse negat, in Respon. ad q. 5. & 60. imò omnia sua opera confitetur esse peccata & quod horribilius senatura propendere ad odium proximi & Dei semper, & uti habet textus scripturæ adiunctus, facilius æthiopem albari quam in se hoc odium emendari.

Quarto continet Falsa, tale est q. i. assertum, quod Spiritus Dei reddat unumquemque Calvinistam certum de vita æterna; & reddat ipsum promptum ac paratum ut Deo deinceps vivat. Cum idem Calvinista teneat, quod nihil sit credendum, nisi quod proponit sacra scriptura, quo dicto hic Dictator se ipsum & Spiritum suum refutat. Accedit quod 5. & 60. quæstio asserat, se ita esse malum ut Dei mandata nullo modo seruare possit. Unde sequitur Calvinistam promptum fieri atque para-

rum ad id, quod minime ab eo seruari potest, nec unquam seruatur. Quanta non sunt ista doctrinæ nouæ portenta! Sed:

Quinto, pugnant etiam asserta quæst. primæ tam inter se quam cum sacra scriptura, nam quærens, quod sit maximum solatium Calvinista in vita & morte? non docet respondere secundum Christi Domini doctrinam, Beatitudine, Vitam æternam, siue spem illius & possessionem aut Dei fructificationem, quæ utique est summum bonum, secundum scripturam) sed tale, quod quod æternum tenere potest absque æternæ vitæ possessione, & de facto damnari homines in inferno feretorum teneat & tenebunt. Nam, hi animo & corpore sunt Dei, & pretioso sanguine Christi sunt redempti plenissima solutione pro his præstita in cruce, & liberatione à potestate diaboli quantum attinet ad Christi opus, nec sine voluntate patris à damnatione potest cadere capillus; & oporteret omnia salutis eorum seruire, etsi id nunc non fiat, verum tamen adhuc est, oportere ita fieri, siquidem solum oportere exigit Calvinianus ille Catechismus; & certi sunt damnati de existentia vitæ æternæ, olim fide nunc euentia, & experimento suo docti, & ut Deo viverent olim, nunc ne annihilentur, prompti & parati sunt, imò ut Deo placere vivant, etiam prompti ac parati fuerunt, & indubie suoper velleitates siue inefficacem voluntatem, quo sensu S. Bernardus ait: Infernum esse plenum bonis voluntatibus, nempe inefficacibus, & sine fructu & bonis operibus. Itaque hæc Catechesis, ob talia abominanda, Melius Sapientes Calvinistas adegit, ut inter Animaduersiones suas etiam ponerent notam talem: Considerandum est, sufficiens dixisset, ut ipsi deinceps vitam, promptum ac paratum reddidit, an vero præstet non nulla addere qua insuper ipsam actuale obedientiam exprimant sine qua conscientia non potest non accusare Christianum. Ita ipsi Calvinista contra se, nimirum sciebant, velleitates, & promptitudines, inefficaces longe abesse à præstatione operis, à qua præstatione volebat Consolator ille suavis & Calvinianus eximere Christianos, & sic ad suam Ecclesiam attrahere omnes ignauios & pigros ut venirent secum, ad illud cælum à S. Bernardo depictum, quod est plenum bonis voluntatibus inefficacibus.

2 pag. 103. Actorum Remonstrantium.

cacibus, hominum bonis operibus destitutorum.

IV. Quod si tanta est peruersitas in ipso limine Catechesios Belgicæ, & Palatinatu aduectæ, ut ipsi Reformati eam tam pateant criminando refutare debuerint (cum tamen initio Sermonis deceat maximè simulare probitatem, eos qui volunt decipere; & assumere prudentiam, qui non intendunt repelli) quid in sequentibus, ad 129. numerum exerescentibus quæstionibus atque Responsis sanitatis sperare licebit? Excerptam tamen & fere ex ipsismet Caluinianorum contra suum Catechismum proprium scriptis proponam ac Thrasonicum de se triumphum duci conquerrantur Magni & Soli illi sapientiæ totius deuoratores.

Act. queruntur Caluinistæ tum alibitum in Animaduersionibus ad quæst. 61. Nullas fere his, (vbi de Iustificatione sua coram Deo imputata ex Christo agunt) *vsurpatis phrasibus sacra scriptura vsusatus*, cum tamen alias mera Biblia & puram Dei verbum crepent. Et quidem multa testimonia scripturæ ad margines Catechismi citari videntur, sed, ut iidem conqueruntur, parum vel nihil sæpe adid, ad quod citantur, idonea, *Domesticum hoc testimonium verum est*. Et inspecie queruntur Arminiani hæc Catechismi sui dogmata nulla scriptura subnixæ esse, videlicet quæst. 9. vbi peccatum Adæ appellatur *Consumacia*. & quæst. 61. vbi Catechismus docet *Sola fide Caluinistam esse iustum*. Requiritur Remonstrantes eo loco scripturas, si quas enim adduxerint esse falsas, corruptore Luthero. Lepore excepit olim eam assertionem Catholicus: dicens vere sola fide esse iustam Caluinistam, quia re ipsa nunquam id probat, credi debere, certum non posse. Sed & quæst. 114. vbi Catechismus docet, quod præcepto *Non concuiscas* præcipiatur, *ne vel minima cupiditate vel cogitatione aduersus ullum Dei præceptum eorunda nostra unquam sollicitentur: sed ut perpetuo & ex animo peccatum omne detestemur contraque omni iusticia delectemur*. vbi Catechismus in laudis non videt, quod ipsum saluatorem faciat peccatorem, utpote qui à dæmone & impijs est sollicitatus aduersus præceptum Dei: *mitete, Adorame &c.* 2. Nec videt quod somno opus habeat, & negotiosis alijs cogitationibus, quæ impediunt ut perpetuo nec peccatum detestari, nec iusticia delectari queat. Et quæst. 115. in qua Catechismus, um mentitus esset modo explicatam falsitatem

contra Deum sine scriptura, continuo addit querendo: *Cur Deus velit legem suam ad eo exactè & seruo prædicari, cum nemo sit in hac vita, qui eam seruare possit?* Respondet: *ut in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit natura nostra propensio ad peccandum &c.* Ad quæ verba Remonstrantes iure querunt: *An in scriptura S. extet testimonium, quod Deus Legem suam ea intentione tam seuerè velit prædicari, & non potius idæo ut impleatur?* Deinde querunt, ex quo scripturæ loco possit Catechismus probare, quod, ut ait ibid. Catechismus, *postquam ex hac vita decesserimus propositam, in Legè adeo seuerè explicata, perfectionem læti assequamur?* Vbi, aiunt, *quæso id vel secundum verba vel sensum reperitur?* Videte igitur, & Reformati, vnde vos vestri Ministri reformati? è verbo Dei? an suismet cerebri sui figmentis? uti ipsi Doctores vestri perspicue adeo conuincunt, vos vero in Catholica-Romana Ecclesia persistentes, gaudere & exultate, quod à scorpionibus huiusmodi Apocalypticis non estis infecti.

2. Conqueruntur etiam Remonstrantes Caluiniani, contra socios suos Caluinianos, quod etiam multa Catechismus eorum Reformatus doceat contra scripturam. Atque inspecie Thomas Gosvinius ad quæst. 9. imo communitas Remonstrantium parte 2. Act. pag. 105. queritur, quod Catechismus Reformatus dicat: *Impulsore diabolo Adamum & se & omnem posteritatem donis diuinis orbasse, cum sacra scriptura non nisi sua uoluntate, factum affirmet, impellendi vero vox proprie longè potentionem vim signet, & debeat omnino ab ijs caueri, qui Deum faciunt Impulsorem arcanum ad peccandum, ut supra cap. 1. de Antelapsarijs, & alibi sæpe est declaratum.* Festinè etiam ex hoc asserto Catholicus nuper monstrauit Diabolum esse Caluinistarum Deum, nam cum Catechismus eorum asserat Diabolo impulsore Adamum & se & posteritatem suam spoliasse donis diuinis, eandemque spoliationem asserant Caluinistæ, Gomarum sequentes & Caluinum, arcano impulsu à Deo esse factam, utique Caluinistarum Deus Diabolus erit, ex unius eiusdemque prædicati singulari argumento: imo queruntur ad eandem quæst. Caluiniani Remonstrantes contra scripturam asseri in Catechismo, quod *Adam sua ipsius consumacia se suosque orbant.* Sed pergunt Remonstrantes & amplius conqueruntur ad quæst. 36. Catechismi (Reformati) *Quod Mediator noster sua sancta conceptione & nati-*

cate peccata in quibus concepti sunt Calvinista, tegat, ne in conspectum Dei veniant. Quærit enim Asluerus Matthiæ: An ullo scriptura testimonioprobari possit, quod hoc dicitur? imo asserit Catechismum sibi ipsi contradicere, cum dicat q. 37. 75. & alibi sua passione tanquã unice in cruce sacrificio peractõ nos redemptis similis est que etiam quam ad q. 60 Catechismi Reformati monet citatus Gosvinius, exprobrans Catechismo, quod dicat Hominem in Christo regentum etiamnum ad omne malũ esse propensum, cum S. Ioan. 1. ep. cap 3. & alibi ser. s. longe aliter loquatur, non solum enim iustum promptum & paratum ad bonum & viam mandatorũ Dei, pronuntiat scriptura; sed etiam iuste agere & currere viam mandatorum, & in omnibus iustificacionibus coram Deo & hominibus incedere & incessisse quosdã pronuntiat. Impingit in eandem scãdali petram Catechismus Reformatus q. 61. in qua scripturis ignota dogmata proponi querunt Remonstrantes, & q. 62. cum accusante Gosviniõ & Mathiõ &c. Catechismus ille ait: *Præstantissima nostra opera esse peccatis inquinata*, ex Isaia 64. cum constet ex textu istic de particularium hominum peccitate agi, non de genere humano & ipse Calvinus & Marloratus neget ex particulari illa posse vniuersalem inferri, præterquam quod mendacium euidentis sit, Abrahamum iuxta mandatum Dei euntem ad immolandum filium, obedientiam suam, tantopere à Deo laudatam, inquinasse peccatis, & scriptura sacra passim insignibus elogijs opera regentorum ornet nunc *vestes mundas, immaculatam religionem*, nunc *purpuram & byssum* vocando, dicendoque quod *vestimenta sua in hoc seculo non inquinantur*.

Et ideo Calvinista contra Calvinistas concludunt, ipeptre Isaia locum 64. reptum de panno mēstruato, ad omnis humani generis iniquitatem referri. Perinde ac si argumentari liceret, *Mulieres immunda sunt Menstruis, ergo omnes homines*. Denique ad quæst. 114. Catechismi, dicentis, quod qui ad Deum conuersi sunt præcepta Dei minime possint seruare, sed etiam sanctissimi quique, quamdiu in hac vita sunt, habeant tantum exigua initia obedientiæ perfectæ: Gosvinius quærit non male, an conueniant cum S. ser. hac dicta, cum S. ser. non tantum faciat mentionem initij, sed progressus, Gal. 6. 15. incrementi 2. Pet. 3. v. 15. complementi 2. Cor. 9. 1. & Mathiõ Calvinista similiter ad eand. quæst. quærit, *An non scriptura, non solum initium, sed & progressum in curriculo & stadio obedientiæ illis tribuat? & quomodo*

do obedientia Abrahami, Pauli & similibus actis conuenire possit dictum Catechismi de inijs exiguis? Lõgior ero si singulas accusationes Reformati Catechismi, à Reformatis ipsis editas protulero. Ergo cæteras extra & contra scripturam assertiones eius indiculo subnectere contentus ero, nimirum Remonstrantes deprehenderunt in quæst. 6. 9. 10. 34. 44. 62. 64. 70. 71. 72. 114. 115. contra scripturam plurima asserta. Vt vel inde patere possit, quam sint fideles scripturæ custodes & puri verbi diuini prædicantes Reformati, qui a suismet collegis, tam manifeste coarguuntur falsi. Sed pergo ad aliud accusationis aduersus Calvinistas à Calvinianis moræ caput videlicet.

3. Manca est doctrina Catechismi Reformati, eo quod aliquam partem doctrinæ proponendo, aliam partem quæ æquæ & sæpè magis necessaria est, omittat, vel authoris stupore, vel calliditate. Notò summarie loca, quæ talia esse demonstrarunt Remonstrantes, quæst. 1. & Resp. eius quæst. 3. 7. 8. 9. 10. 11. 17. 21. 21. 27. 28. 34. 37. 45. 54. 64. 66. 69. 71. 75. 86. 87. 96. 99. 107. 110. 113. 118. 122. 125. imo adeo fatuum ostendunt fuisse Catechismi auctorem, vt ne quidem Titulos conuenientes nouerit præponere materiæ tractandæ, quod vitium in Titulo *de Miseria Hominis* ante quæst. 3. & in Tit. *de Liberatione Hominis*, ante quæst. 12. & in Titulo *de gratitudine*, ante q. 86. perspicue Remonstrantes ostendunt. Ex omni turba doctrinarum mutilarum, vnum duntaxat proponam exemplum hoc. Quæstione 3. interrogat Catechismi auctor Calvinistam sic: *Vnde tuã miseriam cognoscis? & docet respondere sic: Ex Legi Dei* Hic Remonstrantes ita considerant. Num satis plene respondetur ad q. 3. *hise verbis an non addendum: Et propria conscientia mea & potentia ad Legem implendam examinatione, neque ex illa Legi diuina reuerentia, qua solum Dei postulatum continet, absque annexione pænæ miseriam nostram cognoscere posse videmur. Imo etsi quis post transgressionem Legis perfectè præstaret Legem, miser tamen esse non desineret.* Ita Remonstrantes. Addo, quod Homines ita cæci sint, vt audientes Legem ne quidem intelligant, & si quid ruditer intelligant, affectu erga se bono, Legem violasse vix agnoscant. omitto cætera mutila & manca dogmata examinare. Et procedo ad aliud accusationis caput.

4. Methodus Catechismi Reformati graves habet defectus, ut Remonstrantes Calviniani, Calviniani

nianis objecerunt, nempe ad q. 1. & 2. eius & q. 2. & in Tit. de miseria. & q. 10. 12. 88. 94. 96. 89. Etiam vitiosæ methodi unum adjicio exemplum verbis Calvinistæ conceptum: *Quæstione 86. & sequentibus usque ad finem Catechismi agitur de Gratitudine præstanda erga Deum propter liberationem Reformatorum à miseria.* iam vero inter Gratitudinis opera post dictam liberationem, tanquam fructus ponit Catechismi author *Conversionem* q. 88. & *mortificationem veteris hominis* q. 89. & *vivificationem novi hominis*, q. 90. unde manifestum evadit, quod secundum Catechismum Palatinum Reformatus sit quidem liberatus à miseria, peccati & pœnarum, & adhuc tamen servus peccati & pœnarum: quoniam liberatus gratitudinis ergo debet adhuc converti ex Resp. q. 88. & mortificare veterem hominem, ex 2. ad q. 98. vivificare novum hominem ex 2. ad quæstio. 90. Hæc autem sunt portentosa, & solent vocari apud omnes homines *Contradictoria*, sed apud Reformatos nuncupantur *Subtilia*. Merito igitur in suis ad Catechesin Heidelbergensem considerationibus, ista considerando Carolus Niellius Reformatorum unus ita scribebat: *An non hoc loco, ubi de Gratitudine agitur, qua liberationem à miseria sequitur, præter iustum ordinem agitur de Hominis Conversione, cum Conversione in Scripturis Sacris, videatur ubique ipsam Remissionem peccatorum antecedere.* Ex eob. 18. Esai. 1. Luc. 24. Act. 3. &c. Ita Reformatus, contra Reformatum Catechismum.

5. Abusus vocum Sacrarum, in alio sensu, quam patitur scriptura. Huiusmodi stilo Catechismus Reformatus Dei Justitiam & iram sæpissime usurpat pro Tyrannide, vel ut honeste cum Reformatis loquar pro severitate quadam pugnantem cum misericordiam naturæ Dei, imo iustitiam, de talibus accusant Remonstrantes Catechismi sui q. 11. n. 1. q. 17. num. 1. q. 19. & 29. & 95. uno exemplo accusationis veritatem sat erit monstrasse. q. 11. Catechismus *vocat Deum iustum, cuius iustitia postulet, ut quod adversus summam Dei Maiestatem commissum est, id etiam summis pœnis hoc est sempiternis, tum animi tum corporis suppliciis luatur.* Esto. Hujus iustitiæ actum unum in Resp. ad 10. q. ait esse *Horrendis modis irasci cum obinnata nobis peccata, tum ob ea, quæ committimus ipsimet.* Vide quomodo jam incipiat obtrudere Tyrannidem, inque ipsomet Deo horrendos depingere modos. Et qui quæso sunt illi horrendi modi irascendi clam ait, quod ut haberet materiam offendendi potentiam iræ & severitatis suæ, maximam partem Homini creavit in peccatis (id enim sunt peccata innata) &

arcano impulsu ad committenda alia inducit, ut supra cap. 1. in Antelapsariorum hæresi est declaratum, & hoc est onus illud ira Dei, quod Christus iuxta q. 17. Catechismi portavit, quando pro aliquibus hominibus solum, ut dicit Reformatus Gomaristæ: passus est, quasi absque hac passione omnes Homines, a ternas pœnas fuissent prædestinati. Sed satis iteratis cesso.

6. De evidentè falsis accusatur Catechismus Reformatus à Remonstrantibus Reformatis, in considerationibus ad q. 1. 6. 10. 13. 21. 27. 32. 34. 37. 45. 62. 110. 114. Exemplum duplex pono unum notatum à Matthæo, ad q. 114. ibi ait Catechismus, *Sanctissimi quique, quamdiu in hac vita sunt habent tantum exigua initia obedientiæ, istius, quæ observent præcepta Decalogi, quam id falsum sit, ostendit Evangelium Matthæi 19. 20. Omnia hæc custodivi à iuventute mea, quid adhuc mihi deest? utique nihil, nisi Cõsiliatorum Evangelicorum perfectio, nam Dominus ea sola subiungit, dicens: *si vis perfectus esse. Vade, vende quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Ecce hominem, consilia Evangelica aspernantem, ideoque nondum sanctissimum uti Apostoli, & tamen talem, qui à iuventute præcepta Decalogi culto divit &c. Adde ego ex eodem Catechismo aliud evidentè falsum ex Resp. ad q. 75. dicente: *Christus me atque omnes fideles de HOC FRACTO pane* (nempe quem Hic Heidelbergæ Ursin^{us} à suo prædicante, alius alibi, in singulari accipit) *edere, & de poculo distributo bibere iussit in sui memoriam, additis his promissis. PRIMVM. Corpus suum non minus certo pro me in cruce oblatum ac fractum, sanguinemque suum pro me fustum esse, quam oculis certo panem Domini mihi frangi, & populum mihi communicari.* Deinde &c. quæ infra numero 9. recensebo, inter contradictoria, nam quid quæso falsius dici potest, quam ista Christum Dominum dixisse? produc Calvinistæ testes, si potes. imo si probuses & non mendax, vel impostor. Nam si non certius est Christum pro te in Cruce oblatum esse, quam quod vides pacem pro te frangi, certe parva est certitudo pro te Christum fuisse passum, cum oculi sæpe mentiantur. Et cæci Calvinistæ ne quidem corporaliter frangi panem videre possint unde Christi passio.*

7. De imprudenter quoque dictis accusatur idem Catechismus à domesticis suis Calvinio Reformatis in Considerationibus ad quæst. 3. 6. 10. 13. 20. 21. 84. 85. 88. 89. 60. 105. 107. 111. 114. 116. imo in præfigendo Titulo illo, qui est de Gratitudine ante q. 86. Exemplum grandis imprudentiæ assu-

no ex Considerationibus Remonstrantium illud, quod in Resp. ad quaest. 5. ait Calvinista se propensum esse ad odium Dei, & proximi, & hoc testimonium est verum, utpote ingenuè libereque confitentis de se, absque tormentis, cui est fidendum. Jam verò statim sui oblitus in Resp. ad quaest. 6. ait se conditū à Deo vera iustitia & sanctitate prae dicitum, ut Deum suum rectè cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus aeternum viveret. O Homo, hæc non consistunt, cū tam perversa natura. Unde Remonstrantes merito dicunt considerandum esse num Deus hominem ad hunc finem absolute creaverit, an sub conditione. Si absolute, quomodo Deus sine suo frustratus est? & maxima pars hominum excidit, irritumque fit Dei decretum? Si conditionate? quomodo vera erit sententia Gomaristarum prædestinationum?

8. Insaniam quoque, (quod in Calvinista, supra omnem Antiquitatem & Concilia SS. PP. & omnes Doctores Sapientie, est perquam horribile crimen) in authore Catechismi Reformati demonstrant Remonstrantes domestici testes apud Animadversiones suas in q. 8. 60. 104. 114. 116. quibus ad de loca num. 7. de imprudenter dictis citata, cum imprudentia magna, parum absit ab insaniam. Videamus in signem aliquam insaniam Zachariæ Ursini, & omnium qui Catechismum ejus pro oraculo mirabili habent quaestione 8. quaerit, *An omnes adeo simus corrupti, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei? & ad omne vitium proclives.* Et Resp. *Certè, nisi per Spiritū S. regeneremur.* Ibi est duplex insaniam. 1. quod dicat Homines omnes esse proclives ad omne vitium, nempe ad prodigalitatē & Avaritiam; ad nimiam abstinentiam & ingluviem, ad meticulositatem & nimiam audaciam, ac opposita inter se vitia, de quibus Aristoteles gentilis congruit in Ethicis quod magis inter se configant, quam virtus. Media, siue cum hoc siue cum illo extremo. Vidisti Lector insaniam unam, vide nunc & alteram, *Quæritur an non frustra, imo insanè addatur hoc loco conditio illa, nisi per spiritum S. regeneremur?* dico insane. nam in Resp. ad q. 60. dicit Calvinista seu Reformatus per spiritum suum sanctum, sic: Etiamnum ad omne malum propensus sum, & conscientia mea accusat quod aduersus omnia mandata Dei graviter peccaverim. Ecce insanienter additam antea conditionē, nisi per Spir. S. regeneremur. Nam quid illi profuit illa regeneratio? Mansit suo testimonio ut ante eā fuit, nempe propensus ad omne malum, & peccans cōtra omnia Dei mādāta, & ut dicit ad q. 1. p̄optus

& paratus ut vivat Deo. Et idē non est mirum quod postquam est renatus ex Spiritu S. & liberatus à peccatis, adhuc debet converti q. 87. & tunc, cum conversus est, adhuc nihil valeat Reformatus, ut ipse testatur, ad q. 8. si potest æthiops mutare pellem suam &c.

9. Imo de Contradictorijs & pugna cum semetipso accusant Reformati Catechismum suum reformatum, in Animadversionibus suis ad q. 6. 8. 9. 21. 36. 37. 42. 43. 44. 45. 56. 60. 67. 70. 71. 74. 75. 77. 84. 85. 87. 90. 103. 114. 116. 125. imo in hoc genere Contradictoria asserendi ita Reformati excellunt, ut nullā Christiana Lege introducta, vel potius ac orbe creato, nulla secta hominum æque in hac arte excelluerit. Atque hoc est Tota Calvinistarum quam multi prædicant vel mirantur *Subtilitas*. Siquidem quicquid in Calvinismo reperitur subtile, id semper in duas maximas has, seu axiomata resoluere deprehendet, qui necum inspicere voler, nimirum *Dua Contradictoria possunt simul esse vera*. Et, *Dua Contradictoria simul esse posse falsa*, siue quod plebs capit, Idem esse nigrum, & albū, esse calidum & simul esse frigidum. Deo gratias, pro tanta potestate hominibus concessa, quam nec ipse Deus habet & ante Calvinismum nemo sciuit, fuisse datam. Vismi Lector exemplo rem declarari? non credo. modo enim præcedente numero inter insanias unam adnumeravi. Narrabo igitur quod Coloniae euenit. P. Fridericus Spe Soc. Jesu Sacerdos, ipse è nobili familia, nobilem cognatum suum Calvinistam inuisurus ad S. Gereonē ducebat se eum Philosophiæ sub se auditorem, viæ socium, aiebatque, *Dua Contradictorias posse simul esse veras aut certe simul falsas hodie discet Tuam Caritas*; Miraretur inquit ille. Subiungit P. *Tace solum & dissimulata Latina Lingua scientia. sede, quasi orans, & intende disputanti mihi & cognato meo.* Dum factum, salutatione data & accepta, confederunt cognati, & sermone amico protrahitur est Calvinista eo, ut diceret *Prohibitum esse in Ser. S. cultam Sanctorum imaginum, quæ sunt Dei & sanctorum eius repræsentatiua, notabatur dictum creta super mensæ tabulam, discursum deinde vago (inter declarandum quid quale sue sint Dei imagines & SS. eius) habito, ventum est, ad id ut P. ille ex cognato quaereret, vbinam quæso crucifixi Domini nostri imago est prohibita, resumens ille, ait, non est earum in scriptura mentio, Tunc subridens P. annotabat dictum id iuxta alteram cognati sententiam, aiebatque, *Domine cognate, intellexi Respon-**

sonem vestram, sed manet mihi scrupulus ille, quod quod dixit, vestra Nobilitas sint contradictoria: quoniam in scriptura prohiberi ne Dei & SS. imagines colantur, & quod earum in scripturis nulla, fiat mentio, apud homines contradictoria dici solent, cumque cognatus ille bonus respondisset ista bene confisteret, finem seculum colloquio, dicto vale, fecit, & digressus socio suo dixerunt pariter ore, corde autē gembāt super ex-citate cordis eius, qui contradictorias duas simul indicavit esse veras. Erat enim, uti dictum est, Reformatus. Sed ecce adhuc specimen ingenij Reformati aliud. Catechismus Reformatus ad q. 75. qua ratione in cœna Domini admonentur & cōfir-mantur Calvinista, quod unicus sacrificij Christi in cruce ob-lati atq; omnium honorū eius sit particeps? docet Cal-vinistam respondere. Quod Christus in se & om-nes fideles de hoc (Heidelbergæ, Genevæ, aut Amste-lodami à predicante N. N.) fracto pane edere &c. ad-ditis his promissis. Primum &c. (quæ numero 6. antea retuli) Deinde, animā suam non minus certo ipsius cor-pore quod pro nobis crucifixum est, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam aternā ab ipso pasci quam pa-nē & vinū symbola corporis & sanguinis Domini à ma-nu Ministris accepta, ore corporis percipit Calvinista & in R. ad q. 79. Quomodo panis & vinum corporis vi-tam sustentant, sic Crucifixum corpus Christi & effu-sum eius sanguinem vere esse animam nostrā cibū & potū quoad vitam aternā nutriatur. Imo plus adhuc dicit q. 76. dicens Calvinista esse carnē de carne Chri-sti, & os de ossibus eius. Ex quibus assertis utiq; in-telligi datur, quod sicuti reali substantiali, & sen-sibili præsentia panis & vinum introeant in Cor-pus Calvinista, ita Crucifixum Corpus Domini & Sanguis eius reali, substantiali, & sensibili saltem anima præsentia introeant in animam Calvinistæ. Et sicuti in filijs non imaginative & creditivæ solū est, sed vere & realiter caro & sanguis patrum, ita in Calvinista corpore etiā sit caro & ossa Chri-sti; Verum tamen hoc idem Calvinista examinatus negat, & ait, Christum q. 76. 46. &c. esse & fore in cælo: & iam non esse in terra secundū humanam natu-rā, sed solū secundū divinam naturā, gratiā, spiritum.

Itaq; Calvinista Christum sumit intra se, & ta-men distat à Christo quantum distat cælum à Ter-ra & c. Fatigor: sunt enim subtilia mirabilia, hoc est contradictoria in eadaciā, quæ sunt illis credenda.

10. Qui de contradictionibus & pugnis cum te-meri ipso tam grauter accusatus est & secum pug-nare demonstratur, multo magis cum alijs suæ re-ligionis reformatæ socijs repugnare præsumendus

est, idcirco etiam, hac in parte accusatur Cate-chismus ille miserimus, à Remonstrantibus inter Animadversiones suas, ad q. 6. 9. 21. 34. 37. 85. 103. præter alia num. 9. assignatas quæstiones, in quibus subinde & secum & simul cum alijs Symmystis pugnancia affirmat aut negat. Non oportet tantā calumniam fratribus à filijs matris suæ impactam esse inultam, aut demonstranda est saltem aliquo perspicuo facto. Agendum ergo: in ipso siluæ in-gressu, Videte Calvinistæ specimen, quod vester Catechismus merito flagelleretur. is q. 6. dicit quod homo sit creatus vera iustitia & sanctitate præditus, &c. utique cum Deo beatus in aeternum viueret. quærent ibi Remonstrantes fratres vestri, in suis Animad-uerfionibus, An non Catechesis cum docet, hominē, ut cum Deo beatus in aeternum viueret, à Deo cō-ditum esse, contradicat quam plurimū Reformatæ Ec-clesie Doctoribus? Utique: tangite primi & secundi hoc libro capitis pupillas. At idem Catechismus q. 44. in explicatione symboli, quod, postquā Chri-stus mortuus & sepultus est, descendit ad Inferna, nihil aliud sit, quam quod Christus D. inenarrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus & terroribus, in quos tum antea, tum maxime in cruce pendens fuerit demer-sus & Calvinista ab angustiis & cruciatibus libera-vit. Vbi Isaacus Fridericus Remonstrans in consi-derationibus suis ista annotat: Cum Articulus de descensu Christi ad Inferos in Responsione ad q. 44. varie à Reformatis DD. explicetur, multique per descensum Christi ad inferos nihil aliud quam sepulturā, vel man-sionē in sepulchro intelligendam esse existiment, an hæc explicatio in Ecclesia Reformatæ non sit toleranda. Ad-do annoa & Caluini explicatio sit toleranda ex quo erunt Doctores Catholici, quod Christum inferni tormenta tulisse senserit. Item an nō Cal-vinista vi explicati ad eum modum articuli sint impasibiles facti, nam quiuis Calvinista ibi profi-teretur se ab angustiis & cruciatibus inferni liberatū esse.

11. Hæreses novas inducit etiā Reformatus Ca-techismus, nempe Stoicismum paradoxum de pa-ritate omnium peccatorum. q. 11.

Et Chiliastrum errorem, q. 32. 32.

De Stoicorum errore in paritate peccatorū asse-renda occupati Catechismū Reformatū conque-runtur Remonstrantes in Considerationibus suis ad q. 12. ibi enim ait Catechismus, Iustitiā Dei postu-lare ut quod adversus summam Dei maiestatem com-missum est, id etiā in summo hoc est sempiternū cum a-nimi tum corporis supplicio laatur. At Remonstrant quærent. Num simpliciter & absolute summum sup-plicium

sium mereatur, eo quod aduersus summam Maiestatem Dei commissum sit. Et an scriptura hanc causam ulibi alleget? Item quo modo ex illo non sequatur, peccata omnia esse paria, iuxta Stoicorum axioma? Quod uel eo nomine Christianis maxime reiiciendum uidetur, quod scriptura sacra aperte satis poenarum gradus constituat, grauiores quibusdam poenas denuntiat, et mensuram peccatorum non impletam quibusdam peccatis, accessu quorundam impleri testetur: Et Getvinius ad eadem Catechismi verba quærit, quo pacto illa conveniant cum verbis Christi Matth. 11. 22 dicentis, quod tolerabilis erit Tyro et Sydoni in die iudicij, quam generationi illi cui loquebatur. Chiliastarum vero hæresim videtur resuscitare Catechismus in Resp. ad q. 32 dicens in Calvinista persona, se ideo Christianam vocari, quod per fidem sit membrum et postea æternam cum Christo regnum in omnes creaturas tenbit. Suspectas habent Remonstrantes has creaturas omnes, et quærent, quænam illæ sint.

12. Catechismus Reformatus sancit Gomarismum, siue Antelapsariotum hæresim, nam id Remonstrantes pluribus locis convincunt ex Catechismi loquendi formulis, nempe n. 3. Considerationi sup. q. 1. 2. ibi enim ordo verborum cõvincit in auctore Catechismi errorẽ Antelapsarij dogmaris, ait enim de Deo, *me Spiritu suo de vita æterna certum facit, ut q. 1. si deinceps vitam promptum ac paratum reddat.* Vides hic ordinem, nempe prius *vita æterna certitudinem*, postea *gratitudinis loco vi vere Deo paratum*, Ac Apostolus Rom. 8. 13. 14. 25. alij ordinẽ servat, et 1. Joan. 3. 21. nimirum Catechismo contrariũ, cui insulsea dum est contra Catechismum, tanquam Regula ipsiusmet Catechismi. Idem Gomarismus elucet ex q. 9. 64. 65. 84. 88. 89. 90. et 114.

13. Imo Catechismus Reformatus Deum in operationibus ad extra subijcit necessitati alicui fatali à se confictæ ostendunt hoc Remonstrantes in suis notatis ad q. 11. n. 3. & ad q. 12. n. 2. dicit enim Catechismus *Dei iustitiam postulare, ut divina Mai. offensa sempiternis supplicijs plectatur.* & q. 12. *necesse esse, quasi Deo non sit libertas condonandi peccatum sine supplicio condigno.*

14. Denique suo Gomarismo omnem securitatẽ imperat in hac vita aperit, ut passim ostendunt Remonstrantes, dum sola Fide & promptudine docet Deum esse contentum sine actuali obedientia.

V. Eundem Catechismum à Remonstrantibus ad eum, quo vidimus, modum explosum, etiam Catholicus festivè irritum, nam quidam non ignotus libellus aduersus Prædicantes scriptus, in uno eorũ, quem *Reformatum Impostorẽ* Latine, Belgicè, Den-

gereformorden *Duymandrayer* appellarunt, introduxit duas personas *Civilem* & *Classicum* textores illũ Catholicæ, hunc Reformatae religionis proflores. Quos cum forte in colloquium de suæ artis negotijs fortuna adegisset, & *Civilis* de telæ lineæ fragilitate ex infelici lini proventu eius anni multa conquestus fuisset, *Classicus* autem se iactaret de arte & mirifica dexteritate in cuiusvis staminis tela restauranda, adeo ut ipse nexus vix acuto sensu notari possint, *Civilis* festivè subiunxit si se ita res habeat, experimentum capturum ex connectendis ijs quæ in Reformato Catechismo malè cohærere vidisset, cum prima credendorum Regula, Scriptura Sex eiusmodi esse præcipua quæ se quidem fatigent, quæ si *Classicus* apte noverit, connectere siue dolo, siue logis, Magnum sibi nõ solum Apollinem fore, sed, & gratis è symposio abiturum, & se in posterum ab observantia anxia mandatorũ Dei liberum futurum, in quibus alias multum sit triccatus animo, aliud distant e illo & carne aliud concupiscente *Classicus* etsi iure excipere tunc potuisset, se det extrina male ad Theologiã evocari, quia tamen notat omnes Reformatos à Deo doctos & illuminatos esse nequaquam deesse voluit causæ Reformatae & si fieri posset, etiam facere profylitum unum, atque ita postulatis *Civilis* sese audacter obtulit, & ut *Civilem* terreret, tres telas bombycinæ texturæ ei manum condidit, si non impleta dicta factis caupone in Judicem actestem vocato. Adfidente igitur illo inter familiares haustus & colloquia, & iocos Belgicos *Civilis* producto Catechismo Reformato, quæstionem 114. proposuit, ac prælegit: *Possuntne illi, qui ad Deum conversi sunt, hæc præcepta Decalogi nimirum quæ præcesterant, perfecte servare?* Responsio: *Minime verum etiam Sanctissimi quique quamdiu in hac vita sunt, habent tantum exigua initia huius obedientiæ.* Ita ait *Civilis*, mihi nimium quantum à Sacræ Scripturæ dignitate abire videntur, & gnavo nexu egere. *Classicus* nihil metuens *Verum est, inquit, neque enim præcepta nobis à Deo data sunt, ut serventur, hoc enim fieri nequit, propter corruptionem et malitiam naturæ nostræ, sed ut agnoscamus ex ijs nostram miseriam, ut ibidem quæstionibus additur, et quæstione 3. iam ante dictum fuerat hic Civis; rogo ergo te ostende qui id cohæreat cũ S. Luca de Zacharia & Elisabetha dictis cap. 1. vers. 6. Erat iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela? Classicus concionem orsus à mundi exordio & antegresso tempore, à Civili prohibeatur,*

citatis pactis conventis, Sine dolo, sine legis. *Classicus* irasci & manu mensam pulsare. *Civilis* ad pacta conventa cogere itaque *classicum* inaniter strepere videns *Civilis*, addebat, Si istic *classice* aqua hæres quid erit si tibi ingressero u. Matth. cap. ver. 30 iugum meum suavis est & onus meum leue. & 1. Ioan 5. versum 3. mandata eius graua non sunt. etiam ex Iosue cap. 11. v. 25 & 2. Paralip. cap. 15. v. 15. exempla legis impletæ? & exegero vt cum his Catechismi Reformati adiecta connectas? *Classicus* questus iniquum esse vt tot capitibus scripturæ semel & simul occupetur, iam ante alijs causis caput prægravatum, Nicotiani folij puluerem hausit, & cum sternutanti Bene-dictum esset, à *Civili* *Classicus* ægre ferre visus est, eo quod creaturæ non debeant Bene-dicti, quandoquidem in Formula Cœnæ Reformatæ Amstelodami & alibi excusa sæpe omnes benedictentes creaturas seuere excommunicantur; cui excommunicationi Reformatæ multi censent etiam Deum subiacere, eo quod benedixerit panem, pisces &c. creaturas non paucas. Verum missa hac lite *Civilis* *Classicum* ad S. Lucæ caput quantocius reuocabat, qui purgato aliquantum cerebro clarius subtiliter respondit: S. Lucam pictorem fuisse, quod genus hominum subinde pingat res paulo aliter quam res ipsa ferant. (credo iuxta illud Horatij pictoribus atque Poetis, quidlibet audendi est. Non esse dubium quin & Zacharias & Elisabeth fuerint homines peccatores, & sic constare recte cum scriptura Catechismum Reformatum. *Civilis* animaduersa subtilitate tantâ, & tam inopinata *Classici*, cauponem iudicem ac testem contractus initi de dolo appellabat. Caupo Iudex se non diffiteri respondit, quin in eo casu dolo vel à S. Luca vel à *Classico* interuenerit. credere se tamen potius à *Classico* dolum esse ortum, eo quod iam mille sexcentis annis S. Lucas habitus sit vir verax & bonus. Sed *Classicus* perstabat in sententia, & censabat se tam subtiliter personam textoris egisse, vt ne Gochienis quidem Textor secum componi posse videretur. Cum in eo cardine igitur res vertitur Hospita Romanæ fidei, quæ vtraque auscultauerat, manu adnota ad tabellâ crediti cretâ binos adscribebat ductus numeris Symposij. *Classicus* videns exclamare: Domina nescis scriptum esse. Non furum facies, non loqueris falsum testimonium &c. Hospita subridens ait *Classice*, itane tui immemores audiente me dicebas, Præcepta Dei seruare esse impossibile: non esse nobis eo sine propo-

sita vt seruamus, sed vs miseriam nostram agnoscamus. Et nunc à me imbecilla creatura exigis, quod à vobis viri magnanimi non impetratis? quis iste agendi modus est? Alligare onera graua alijs & digito nolle ea leuare? quin & ipsa memini à magno illo Galvino doctum esse Dei esse ordinatione dispositum, vt mandata eius non seruentur. (a) implentem ergo Dei ordinationem noli turbare, nec tibi ipsi obesse, cui iuxta Catechismi tui 41. oraculum, quo omnia, etiam hoc meum contra Legem factum saluti tua seruire oportere certum est. plura etiam garrire volentem interpellat *Classicus* dicens Mulier in Ecclesia taceat. Illa, quid tu mihi ista? in hospio? nescis quod qua infirma sunt mundi elegit Deus vt confundat fortia? & ne tibi vilo pacto possis arrogare à me interrogatam iniuriam, vide, quam ex vestri Catechismi dictamine iuste egerim, ego, tu vero me iniuriam accuses; dicis me furtum facere, me mentiri dum duas solum noto amphoras in tabella crediti vri reris ad te non allatas in hanc mensam. Sed profecto graviter erras: Audi me. Quidam enim erres? certe. Tu dictante Catechismo tuo credis te Christi corpore & sanguine qua in terris non sint, sed solummodo in calo ad dextram Patris consistens pasci te tam verè, quam symbola panis & vini à Prædicante recipis. Ego verò tibi apposui omnium qua in cella mea sunt amphorarum symbola, multo magis cum illis symbolizantia, quam panis & vinum cum Christi corpore. Atqui ista consumpsisti, credibilis igitur est, quod quæ in cellario meo sunt bibisti, cum hæc tanto sunt viciniore tibi, quanto mea cella tibi est vicinior quam cælum. Risit caupo subtilitate ingenij vxorij, tunc & ipse *Civilis*, maluit quidam scire, *Classico* commune, quam tam apposita cretæ notas expungi. Imo aiebat se solū sufficere ad solvendum pretium tantillum earum rerū, quarum symbola *Classicus* ebibisset. Campo vero lætatus de nouo quæstus & corradendæ pecuniæ arte amicè vxori propinabat, symbola cæterarum mensurarum. Hæc Actus primi in loco-feriæ Fabula synopsis, cæteros quinque non minus festiuos omitto, ab alio forte transferendos.

Sic qui Catholicorum Sacra sine ratione sæpe irriserunt, cum ratione & ipsi nouissime iridentur.

CA-

a Lib. 2. inst. c. 7. v. 5. lib. 3. c. 11. v. 15. & 16. Remonstrantes fuso Actor. part. 3.

QUOMODO SCHISMA CALVINO-HOLLANDICUM CAPTUM, & PROPALATUM SIT, & CONCURRENTIBUS UTRINQUE PARTIBUS XX. ANNIS SUSTENTATUM USQUE AD SYNODUM EORUM NATIONALEM & PRÆDATORIAM DORDRACI CELEBRATAM.

CAPUT VIII.

- I. Initium Schismatis Calvino-Hollandici inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes.
- II. Progressus eius ab An. 1605. ad 1609.
- III. Secuta ab An. 1609. ad An. 1618. quo Synodus Dordracena indicta fuit.
- IV. Acta in Synodo Dordracena.
- V. Secuta post Synodum eandem.
- VI. Epilogus libri noni.

ANno 1597. in Confœderatis seu Hollandicis Provincijs Statuum inter Ministros verbi Reformatos, gliscens dissensio de aliquot doctrinæ Christianæ capitibus, ex animis per linguas & calamos in publicum erupit; quæ eadem operâ Ecclesiæ Romanæ sub S. P. P. & Cœciliorum Sanctorum unanimi consensu ac traditione coherentis felicitatem, & eorum qui ab ea desciverunt, & sub Reformatorum nomine, se in unum corpus redigere laborant, infelicitatem indicavit. Ea dissensio in hunc modum orta est ex ipsorummet doctrina.

Erant Anno dicto in Hollandia Ministri verborum excellentiores Caspar Coolhassius Lugduni Batavorum; Hermannus Herbertus Dordraci ac Goudæ ac Cornelius Wiggerus Hornæ & alij alibi qui consideratis sententijs Calvinianorum Ministrorum fratrum suorum, quos habebant. De prædestinatione Dei circa Homines, & qua inde pendent tum Redemptionis vel universaliæ, vel ad certos homines astrictione, tum gratia Divina auxilijs, conversioneque aut Iustificatione Hominum, ac denique perseverantia Fidelium in fide, animadvertent, tam lumine naturæ quam sacrarum literarum ductu, multa in ijs sententijs impia & blasphema & alystata contineri, quibus docendis & suam & aliorum conscientiam iudicabant inquinari, & ided apud se sensim

statuerunt eiusmodi profanis doctrinis opponendam esse saniozem doctrinam. Potro impia doctrina Fratrum suorum; (quorum autesignanus fuit Gomarus tunc Professor Leydenfis, atque Gronigenfis Minister, à quo Gomaristæ dicti sunt) in r. 2. 3. 6. 7. Capitibus huius libri satis perspicue explicata est.

Ad Rerum gestarum seriem enarrandam in hoc schismate pergo: nempe, quod cum Melior illa, & melius sentiens suo iudicio; Calvinianorum parte Remonstrantes ferre non posset impiam Fratrum suorum doctrinam, & inter docendum scribédumque aliter tam Divinæ prædestinationis ordinem, quam quæ illi connexa sunt explicaret, etiam argumenta tum adversus Authores impios, & Confessionem Belgicam ac Catechismum formaret non invalida, bilis æterorum Ministrorum & zelus eorum, uti fieri solet *Inter Superbos & sine Iudice dissentientes*, adversum eos concitatus est. Itaque ab adversarijs Contra-Remonstrantibus in concionibus agitari, & Synodis provincialibus affigi cæperunt. (A) Coolhassius in Synodo Middelburgensi Reformatorum, Herbertus in synodis Hollandiæ Australis, Wiggerus in synodis quibusdam Borealis Hollandiæ est oppressus civili magis potestate & multitudine adversariorum, quam uti oportebat, scripturarum vel argumentorum pondere. Verum tamen cum authoribus oppressis causa eorundem minimè est oppressa, siquidem Jacobus Arminius vir sedatiore, æquiore & acri præ fratribus iudicio Minister Amstelodamensis ad eandem sustentandam accessit, usulq; libris Catholicorū Doctorū, qui eam materiã solidissime pertractarunt, argumenta & rationes ex eis mutuat^o cætera Reformatorū dogmata intacta relinquens, Prædestinationis & c. cœnæ dogmatum spheram aggressus, Calvinij, Zanchij, Beza, Mattyris & similia Rigidorum absolute Prædestinationum sententias explosit. Invenit etiam hic mox adversarios suos Symmystas, Amstelodami; sed & invenit Synergos imprimis Joannem Utenbogardum, Adrianum Borrium aliosque Theologiæ Reformatæ Lugduni Bat. Sectatores, quorum ope suffultus Arminius ad Collationem subinde & inter alios etiam Franciscum Junium Doctorem Calvinianum Lugduni Batavorum provocavit, Adeoque excelluit ut cum Anno

Ddd 1602.

a Acta Synodi Dordracena in prefat.

1602. 28. Aug. idem Iunius esset defunctus Utenborgardi opera & Commendatione Arminius ei in professione Theologiae sit à Curatoribus Academiae illius surrogatus. Inuidebant quidam Ministri ceteri Arminio eam praelationem, & quantum in ipsis fuit obnixi sunt, sed nihil efficientes hominem sibi praeferrere solum doluerunt. Ipse coactus à Symmystis, ut instituta prius cum D. Francisco Gomaro de praecipuis doctrinae capitibus collatione pro Doctoratus gradu obtinendo, ut Gomarista narrat, promitteret se singulares opinioniones suas non disseminaturum An. 1603. 6 & 7. Maij damnatis etiam Pelagianorum erroribus & SS. PP. Augustini &c. qui contra Pelagium scripserunt, laudatis sententijs Cathedram Doctoralē Lugdunā conscendit, promorus ab ipso met. Francisco Gomaro, quemadmodum Lutherus olim a Carolostadio, à quo, uti Lutherus longe abijt, ita & Arminius a Gomaro, tam doctrina quam instituto Porro Arminius in Cathedra collocatus ita se sub initia gessit, uti Calvinista solent, nempe tegere mentem, dissimulare, tempus expectare, idcirco sententijs tam his quam alijs, uti fors ferebat, cum praesidebat, defendendis operam impendit etiam contrarijs, sed explicatione, vel usu ambiguo vocum suis, & ad suam mentem detortis, uti Gomarista queruntur. At hos vicissim Arminiani inculant, quod mentem suam, continuo, ne populo innotescat, occultent, certi se manibus matrum, quarum dilectissimas proles, excunus, etiam baptizatas, ad damnationem relegant, tanquam quosdam Novos Pertheos esse discerpandos. Quicquid vero horum sit, Calvinistis se mutuo fallere, ex principijs Reformationis suae est usitatum. Veruntamen Arminius pedetentim veritatem ob oculos ponere auditoribus, & argumentorum è Catholicis haustam vim stringere, & ostentare uti suum dogma aggressus, adversarios, exultante auditorum suorum numero, premebat. Ita enim inter haereticos Nostri Tēporis comparatum est, ut cum soli fidei, neglecta caritate, omnem tribuant sanctorum, egregie se mutuo depectant, & fratrem de fratre manus suas reportantem læto celestinate excipere aveant. Studio disputandi addebat Arminius consilium aliud (quod à Calvino valde usurpatum est) nempe libros manu scriptos, Catholicorum suppresso nomine vel titulo, de Controversijs suggerere, ac legendos tradere, inter quos Gomari-

sta etiam Societatis Jesu Doctores fuisse queruntur, nempe Suarezium, quem tunc de Gratia auxilijs Apostolicae sedis mandato nefas erat excudi. Hunc alios, suis Auditoribus suggestisse queruntur adversarij Arminij, de quo etiam adducitur quod de Zacharia Ursino, Catechismi Meidelbergensis authore, Calvinoque ipso, ac eiusdem sententiae hominibus contemptim (& sane merebantur) sit saepe locutus, atque eorum argumenta de predestinatione Catholicorum more eluserit, irriseritque, asserendo se multa habere consideratione dignissima annotata in Reformatione doctrinae Catechesin aequae ac Confessionem Hollandicam, quae aliquando Synodo essent exhibenda. Cum igitur huiusce modis multos Auditorum suae sententiae amantes effecisset, & ij vel ad ministerium verbi, vel professionem in scholis accessissent gnavitè doctrinae ejus sodalitati insistebant, & adversam partem Gomaristicā exagitabant. Id Hollandiae Ministri adversarij eorū, qui magis bruta sequebatur doctrinā de predestinatione intellegentes in toto consilio deputarunt ad Arminium legatos, qui ei rumores de ipso eiusque doctrina ipsos exponerent, & sollicitudinem suam sub nomine pulchro Ecclesiarum ostenderent & rogarent, ut si quid in recepta nuper Hollandorum Religionis desideraret doctrina, id sincerè suis Fratribus exponeret, quo aut ipsi per collationem, aut per synodum super ijs quae vellent, satisfaceret, quibus ille quae videbantur responderet, & collatione, tanquam cum deputatis habenda, superferret. Jam dudum enim nihil Sanctum aut Christianae Caritati congruum, adversus se suaeque sententiae assertores, moliri eos senserat, sed vel dolis, vel vicium venire sibi resistentes, ipsis esse destinatis, quorum ab hominum Colloquijs quanto quis magis secreverit se, tanto securiorem se certo effecit.

II. Serpebant interim & in scholis & in foro, & in transtris & pristinis vulgè disceptationes, de predestinatione, de Gratia, de libero arbitrio, de perseverantia, & Christi Domini satisfaciendi modo, ita ut Anno 1605. 28. Julij à Consule Urbis Leydenfis Phazdone & Paulo Merula Historiarum professore, uti Gomarista narrat, moneretur, animum induceret cum collegis suis coram presbyteris Ecclesiae Leydenfis confectre, quod ille ut pote maior doctiorque otiosum esse ratus est, omisitque, ob quem contemptum superbi illi seculo.

do inflammati, literis & dictis Arminium & ei ad dictos traducere passim ceperunt, effeceruntque ut in Arminium imbres querelatum vadique depluerent. Itaque ad querelas aliarum synodorum eodē Anno imprimis Dordrechtianæ classis, in Roterdamensi synodo 30. Augusti collectæ, accessit querela, quæ ad cavendum in doctrina Calvinianorum Rigidorum turbas, uti præferebat, revera ut vinceret, 8. Nouemb. decreuit ut omnes pastores tum *Confessioni Belgicarum Ecclesiarum tum Catechesi Palatina* subscribere, quod multirecularunt. Ipsi etiam Academia Leydenfis curatores accusatoribus Arminij & 19. articulos, de quibus querebantur disceptari, offerentibus, synodum Nationalem, breui indicendam responderunt. Valde increuit hinc sollicitudo Gomariitarum, qui apud Generales statuum supplicarunt 26. Nouemb. ut Nationalis tandem synodus, diu expectata iudicaretur. Generales vero statuum declararunt ordines omnes iam pridem in eiusmodi synodum consensisse magno consensu atque ut secundum quarundam Provinciarum postulatum, in eâ fieret *Revisio Confessionis Belgicæ & Catechismi Palatini*, esse in consensus sui litteris postulatam, tanquam consentiendi conditionem. Hoc nuntio accepto omnia in synodum, tantum cruciati fuerunt mentione eiusmodi *Revisionis*, in qua scirent sua recens subintroducenda & blasphemæ doctrinæ principia, quæ iam stabilita rebantur, ad cunas & ad incudem esse revocanda. verbo *tremor gelidusque cucurrit cuncta per ossa pavor*. Tricatum est itaque multis inter Genera es statuum & deputatos à Gomariitis Anno 1606. usque in Augustum ne eiusmodi *Revisionis* mentio litteris de convocanda Synodo infereretur. At cum mens illo Australium Hollandorum Synodus instaret Goringhemij celebranda, in ea postulatam fuit à congregatis ibi Ministris, ut qui *animadversiones in Catechesin, & Confessionem* annotatas, uti ferebatur, haberent, eas *Classibus*, si pastores essent, & si professores *Deputatis* Ecclesiarum exhiberent, ut ea ratione ipsis ante synodum Nationalem satisficeret per classes, vel demum synodo Nationali proponerentur. Spectabant in hoc decreto Gomariitæ, ut fundum Arminianorum exhaurirent & ad eorum argumenta dissolucenda, oppugnan-

damque sententiam se possent præparare, sed Arminiani cautiore, arbitant; se suos Animadversiones tam in Confessionem quam Catechesin in tempore prolaturus. Interim Anno 1607. 23. Maij evocantur à Generalibus statuum ex singulis provincijs Theologi, ut de Tempore, Loco & materia modoque synodi habendæ cum eis deliberaretur. Estque deliberatum, ac vnanimitè ab evocatis, inter quos & Arminius erat & Gomarus tunc conclusum est, placere ut initio futuræ synodis præscriberetur & quidem Ultrajecti in eaque ageretur *de Gravaminibus Ecclesiarum*. Quatuor autem Ministri cum 1. senioribus vel Doctoribus singulis synodis particularibus ad eam mitterentur atque ut *Deputati* eiusmodi seu *missis* definiendi potestas concederetur. Normam iudicando *Scripturam Sacram* esse debere, convocandos esse etiam Belgas extra Belgium degentes & à Generalibus statuum esse rogandos qui ordini præsent; Et in his quidem conveniebant evocati, at in alijs quibusdam conveniri non potuit, nempe quid pro definitiva sententia foret habendum, Deputatorumne ad synodum, an & Deputantium consensus. 2. De Deputatorum potestate, si dissentirent, differrentue consensus. 3. De *Revisione Confessionis & Catechismi Heidelbergensis*, in litteris convocatoriis exprimenda omittendaue. nam Gomariitæ horrebant non solum *revisionem* suæ subintroducenda in Belgium doctrinæ Fatalis, sed etiam ipsum nomen *Revisionis*, quo arbitrabantur sese veluti fulmine affatos cremari. Vnde iam tum apparebat, quæ concordia synodus ea esset celebranda, de qua tali dissensione in præliminarijs disceptaretur, itaque hæc ipsa discordia synodum, priusquam esset, infecit, & moras novas, ne cito fieret obiecit, maxime ea quam dixi mentio *Revisionis*, ad quam exhorrescebant plerique ministri tanquam ad causam dicendam in Iudicio. Ex eo tempore Gomariitæ Arminium & socios eius persequi, & ei insidias tendere ceperunt; maxime cum ille dicitur securus Paulum civem Romanum se non istis, sed ordinibus Generalibus obnoxium esse in reddenda ratione. Causisque ob quas *Revisio* necessaria videretur. Exprimere tamen rationes illas tentarunt adversarij eius magnis moliminibus. Ac 1. orantur Ordines Hollandiæ & Frisiæ occidentis, ut ex synodis Australis & Borealis vnam constare liceret, ad difficultates tollendas, sed id quo minus

confestim fieret, impediabant Consilia Reipublicæ quæ tunc de Inducijs cum Rege Hispaniarum faciendis tractabantur, urgentia. Acta sunt hæc circa 14. Septembris & Arminius Anno 1608. 30. Aprilis libello supplice impetravit ab Ordinibus, ut causæ suæ & Gomari cognoscerentur coram Supremæ Curiæ Cōsiliarijs, & non Ministris verborum sibi ad mortē infaustā. Pessimè habuit id rursum miseros Ministros, qui sibi in Ecclesiasticæ iudicium deberi censebant, & eo pacto statuerunt viam novo, deinde in Hollandia, nato schismati, de potestate Magistratus Civilis in Ecclesia, de quo postea sermo erit. Itaque supplicarunt & illi Ordinibus Hollædiæ & Frisiæ 14. Maij, ut in Synodo Provinciali causa Ecclesiastica cognosceretur. Ordines vero media via incedentes, utrique parti satisfacere rati sunt, si cognosceretur coram Curia suprema. causa Arminij & Gomari, iudicium vero deferretur Synodo. Itaque ad collationem inter Gomarum & Arminium tandem devenit apud supremam Curiam Hagæ, ubi iterum lis oborta est Actoris partes subrepticè Gomaro, Arminio ad partes reise offerente, qui recusante Gomaro partes Actoris exclamabat, *mirari se quandoquidem de Heterodoxia sua varij rumores sparsissent, Et iā omnes Ecclesias pervassissent, incendium que à se excitatum ipsa Ecclesia, secta superare criminarentur neminem reperiri, qui accusationem instituere audeat.* Hac gloriatione demum extractus est ad partes Actoris agendas Gomarus, qui ex autographo Arminij de Justificatione hominis asserta produxit, *iustitiam Christi non imputari hominibus in iustitiam, verum ipsam fidem seu To credere per gratiosam Dei acceptilationē, esse iustitiam nostram; qua corā Deo iustificemur qua assertio plane repugnat Catechismo Palatino, & illorum Calvinianorum sententiæ qui nihil in homine ullo boni, esse affirmant, sed omnia merum esse peccatum, adeo ut neque credere in Deum bonum sit opus, sed solus Deus sit bonus, & illius bonitate imputata homini, fiat homo bonus, si quis bonus censei debet. Stultissime sane & contra se ipsos docendo. Si enim imputari debet homini Iustitia Dei, ut quid fidem exigitis ab homine: si nite obsecro. Deum imputare, & nolite exigere ab homine aliquid, quod sit causa imputandi iustitiam.* Idcirco ad objecta Gomari tam fatua non fuit elinguis Arminius, sed & ille adversarium urisit, adeo, ut Consiliarij Supremæ Curiæ qui collationi aderant, Ordinibus reculerint, *Controversias*

qua inter duos illos Doctores exorta sint, versari potissimū in Subtilioribus quibusdam de prædestinatione disputationibus, qua aut omitti, aut mutua tolerantia dissimulari possint. At Gomarus avidus honoris & victoriæ studio æstuans protestabatur dicens: *eas tanti esse momenti ut ipse cum Arminij sententia se diceret coram Deo comparere non audeo, quod ab Arminio multo melius & efficacius dicebatur, cum Gomari sententiæ de prædestinatione essent multis blasphemijs cooperta, & ab Ecclesia Catholica damnata: & porro dampnata Minabatur igitur Gomarus ut solent passionibus subiecti, & malæ causæ patroni, ostentans tumultus Civitatum & Provinciarum, nisi ex sua sententia statueretur; sed tunc nihil evicit. Unum illud statuerunt Ordines, ut utriusque scripta consignata in Suprema Curia conservarentur, nemini communicanda, quoad Synodus Nationalis celebraretur. Quæ res Gomaristarum factionem multo magis turbavit, cum tot machinis adhibitis nondum ex Arminianis extorquere potuissent, quid in Calviniana doctrina improbarent, metuerentque ne tota subverteretur, Catechismo eorum & Confessione profligatis. Itaque Gomaristarum deputati incessanter flagitabant synodum, vel Provincialem vel Nationalem, Ordines autem videntes passionibus æstuate Ministros, eosdem detinebant, ut ne quidem suas cōsuevas synodos celebrarent, cum tumultuum potius, quam sanæ doctrinæ seminata futura præviderent.*

Erat iam ætas Anno 1608. cum identidem flagitantibus Gomaristis, ut synodi fierent, Ordines 28. Junij responderunt quod proximo Octobri Synodum essent convocaturi Provincialem, Eo comperto Ministri Arminianis infausti, quasi iam tum iudicum subsellia occuparent, Arminianis iterum iterumque edixerunt, ut Considerationes suas singuli in singulis Classibus suis patefacerent, deferendas ad instantem Synodum, qua in re iniuriam manifestam irrogabant modestis Fratribus suis, quorum se Dictatores constituiebant illi ipsi qui nuper ab Ecclesia Catholica Tota, nec ab Apostolica Sede, nec Concilij Universis iudicari de se sinebant, prætextu libertatis Conscientiarum. Itaque Arminiani minime ad tam indignam tentatam cæci aut fatui in Fratribus suis Gomaristis desiderabant æquum iudicium, ut quod sibi nolent fieri alijs ne facerent, & rogabant filios Matris suæ ne pugnant contra se: & merito. quidem se.

se eorum iudicijs subtrahebant, & nihil eorum quæ atroces illi Dictatores mandabant iure suo prætenso expediebant. Vbi Octobris adfuit Maior synodus in 2. menses dilata est, & permillum est, vt suas particulares annuas synodos Ministri in vtraque Hollandia celebrarent, ea cautione ne Arminij causa, reserua Provinciali, in ijs tractaretur. Celebrata est Dordraci Synodus Hollandiæ Australis, & contra Ordinum iussum Arminij causa tractata est à furiosis Gomaristis & denuo decretum, vt considerationes suas Arminiani deferrent aduersariis suis, sub pœna Censuræ Ecclesiasticæ, in contumaces stringenda. Idè à Petro Bertio tunc Regente Theologici studij Leydæ esse postulandum. Sed aduersus illud euandum & prædicatorium decretum Arminiani ab Ordinibus litteras obtinuerunt 13. Octobris vt Considerationes suas, quas haberent, non ad Gomari factionem, sed ad ordines obsegnatas transmitterent, vt ad Synodum afferrentur. Academia vero deputatis à synodo flagitatoribus respondit: Gomarum nihil habere considerationum circa confessionem Belgicam aut Catechismum (quippe ex sua mente confarcinata) Arminium vero suo tempore scripto responsurum. Ipse vero Ordinibus exposuit Quid de Prædestinatione diuina, de gratia, de libero arbitrio hominis, de perseuerantia Sanctorum, de certitudine salutis, de perfectione hominis in hac vita, de Deitate filij Dei, de Iustificatione hominis coram Deo, alijsq; capitibus doctrinæ, Belgarum Reformatorum sentiret. allertus ab aduersa sua parte tradi de Prædestinatione doctrinæ quæ cum Dei natura, eius sapientia, iustitia & bonitate, cum natura hominis eiusque libero arbitrio cum opere creationis, cum natura vitæ mortisq; æternæ, peccati denique essentia pugnaret, quæque gratiam diuinam tollerent, Dei gloria minuens, hominumque salutis esset noxia, quæ Deum faceret peccati auctorem, dolorem de peccatis impediret, pœnitentiam tollerent, omnem piam sollicitudinem exterminaret studium bone agendi minuerent, ardorem precandis profugaret, desperationem pareret, Euangelium euerteret, Verbi Ministerio obesseret, postremo fundamentum omnis religionis euerteret. Neque sanè vanè ista dicebantur, Gomarus tamen tanquam letali ictu percussus. Dec. accusationem orsus, doctrinam Arminij aliter interpretari, & cum id frustra fieret, inde maximè imperere, quod Ministris alii, nampe aduersariis suis, toties rogatus & coactus, doctrinam suam copiam non faceret & cum Catholicis seu Papis maximè Iesuitis in prædestinationis negotio & annexis

ei sentiret. Idcirco ne quid Resp. Reformatæ detrimenti caperet, synodum Nationalem quoties opera Vtenbogardi &c. impeditam, omnino esse mandandam, vt remedium adhiberetur Iesuitarum & apostolica multorum inuimium desistentium, Sub hac

anno 1609 crebro à Gomaristis vexatus et erim, & monitus Arminius, vt suas in Belgiam doctrinam Considerationes promissas scripto comprehensas mitteret, qui 4. Aprilis per epistolam Respondit, se id dissulisse quod intellexisset Illust. Ordines Ministris mandasse, vt Considerationes suas obsegnatas ad ipsos mitterent, idcirco se consilium mutasse, expectaturumque dum idem sibi quoque Academia professori mandetur. Regens quoque Collegij Theologici P. Bertrus ab eisdem monitus vt suas expromeret sine tergiversatione respondit, se in articulis de Iustificatione hominis coram Deo, de prædestinatione, de gratia, Dei & libero arbitrio, de perseuerantia, denique vera fidelium, diuersum ab Gomaristis sentire. Vnde multo vehementius percussus sunt Gomaristæ. Itaque animosiores paulo Arminiani, inter quos dicitur etiam Alemariæ se exercuisse præ cæteris Minister Adolphus Venator qui publice Arminianam in Ecclesia doctrinam tradebat. Ideo hunc Confestim eius aduersarij vt Pelagianum & Socinianum falso traducere cœperunt, & eum cum quibusdam à docendi munere suspendunt. Ille vero suspensionem illam floecipendens cum focijs apud Illust. Ordines conquestus mandatum impetrauit, quo eorum restitutum imperabatur mandabaturque inimicis eorum, vt non obstarent, restitutioni, qui ad conscientiam suam alyum recurrentes, id facere non possent responderunt & deprecati sunt humillime quasi atq; iterum synodum Nationalem urgere cœperunt, cuius cum nondum esset opportunitas, Nova collatio inter Gomarum & Arminium instituta est, assumptis à quauis parte quatuor Ministris, habenda coram ipso Ordinum Illustrium conuentu. Eam collationem è scribis excipi volebant; Ordines vero voce solati fieri, postea tamen scriptis comprehendendam esse ad iudicium synodi, conuenit. Erant inter Collatores ex parte Arminij assumptos Vtenbogardum Hagæ, Bortium Leydæ, Grevinckhoniū Roterdami Ministros, quatuor ante dictus Venator Alcinarianus, quem vt suspensum reuebant Gomaristæ. Ex parte Gomari verò fuerunt assumpti Aconius Schiedamæ, Rolandus Amstelodami, Bogardus Harlemi, & Hommius Leydæ

Ministrelli. verum nihil illi aduersus Venatorem efficere potuerat, sua suspensione præsentia, qui olim ipsius Ecclesiæ Catholicæ veram censuram accipiendam docebant.

Initium collationis fuit factum de Iustificatio-
ne; An scilicet Fides quæ actus est, secundum gratiosum
Dei estimationem sit ipsa Iustitia, quæ coram Deo iusti-
ficamur? Deinde de Prædestinatione diuina, Tertio de
gratia Dei & cooperatione liberi arbitrij, ultimo de
Perseuerantia vera fidelium. De quibus solis cum
actum sit ea collatione, accidit vt deinde famo-
so nomine res, *Quinque controversi* articuli sint
nominati. Quam solide porro Arminius & eius
socij in hisce subtitulerint aduersus Gomaristas do-
cent Remonstrantium Acta parte. 2. in qua Armi-
niani proposuerunt, explicauerunt & defenderunt
exactissime sententiam suam super quinque de
prædestinatione eique annexis capitibus, tot
scripturæ locis confirmata, & contrariæ sectæ cla-
ra confutatione stabilita, vt mirum sit, quomo-
dorationi suæ Gomaristæ satisfaciunt, nisi vo-
luntate sola pugnant, ostendentes factæ se
gratiæ Dei seu veritati posse resistere, quod fieri
posse verbo negabant, cum contra Gomaristæ senten-
tia, de iisdem capitibus nullo robore eiusmodi,
nisi Sophismatis & bruto multitudinis & pote-
statis secularis impetu fulciatur. Hæc præce-
sentur, vt tanto tetrior Gomaristarum appareat
victoria, quo Arminianos vi demum oppres-
erunt. Cum autem quinque discussis articulis
Ordinibus collationem abrupti placuisset 22 Au-
gusti, collatoribus imperarunt vt scripta sua de
controversijs oblata intra certum dierum nume-
rum custodia suæ submitterent, donec ea in Sy-
nodo discuterentur. At hæc collatione magis
Reformati Gomaristarum turbati sunt & 16.
Septemb. iterum postularunt ab Ordinibus Sy-
nodum, in qua scirent se facile aduersarios op-
pressarios numero nondum auctos quibus Res-
ponsum est, convocaram iri Synodum cum Ale-
mariæ classis Ministri ex Illust. Ordinum man-
dato de Adolpho Venatore & adherentibus, in
certum suum admittendis, paruisent. Ne igitur
ea res moram faceret vltiorem à Gomari-
stis Deputati Alemariæ profecti, eum eius loci classe
egerunt de abdicatorum restitutione, Hæc in parte
paruit, & Venatore excluso, ob graues vt dice-
bat causas, cæteros admisit. Sed ea ratione nec Or-
dinibus nec Arminianis cum satisfecissent 5. Octo-

bris denuo ad recipiendum Venatorem compulsi
sunt, cum sensim infirmatus Arminius ex hac vita
19. Octob. decessit.

Arminio è vita sublato Gomaristæ, vti magno
aduersario liberati, spem certam sibi de reliquis
opprimendis faciebant, & Synodum rursus sol-
licitabant, quam eis Ordines addixerunt, cum
Alemariæ Classis eorum mandatis paruissè vide-
retur, vti decebat: quod cum pertinaces Goma-
ristæ recusarent, occasionem dederunt Arminia-
næ parti acriter ipsos, vti rebelles premendi & ar-
gumentis, quibus Spiritu resistere non possent,
fortius vrgendi, quæ in re multi scriptis & dictis
operam non ignauam collocarunt, pro vindican-
da Statuum & ordinum autoritate. Itaque Ann.
1610. eiusmodi turbis inchoatus ad 25. Maij de-
currit, cum Gomaristarum patientia pene fracta
fuit & pessundata, itaque potenter iterum Syno-
dum efflagitarunt. At dum id Ordines meditan-
tur, inter ipsos de modo conuocationis, & con-
vocandis cœptum est disceptari & ambigi, & non
solum Provincialis Synodus, sed & Mino-res an-
nuæ intermittendæ fuerunt, studio partium di-
uisa consensione, in Hierarchia, carente capi-
te seu Papa, Hac occasione Arminiani cum vici-
rent se excommunicatione & alijs indignis mo-
dis à suis Fratribus in Fide tractari, ipse inter se
corpus quoddam confluendum esse non inepte iu-
dicarunt, cum Gomaristas à Fide vera & religio-
ne & caritate excidisse sentirent. Nec multo
post, nimirum mense Iunio Hollandiæ & VVest-
Frisiæ ordinibus libellum supplicem, cui titulus
erat *Remonstrantia* obtulerunt, à quo eos qui-
dam *Remonstrantes* dictos fuisse contendunt. In
hac illi causam suam egerunt strenuè & perspicue
aduersus tenebras Gomaristarum, qui nec opi-
nionibus conuenirent, nec eandem illas ipsas,
quas fouebant in animis, producere in lucem au-
derent, de prædestinatione, de Gratia, Dei, &c.
adiunctis. Ne vero maior inter Ministro ex hoc
scripto concitaretur seditio, diligentissime Re-
monstrantia illa est occultata, & dum in locum
defuncti Arminij successor quaeritur, ecce tibi ad-
uersus Gomaristarum factionem, supplicesque li-
bellos & omnia vora, in Cathedram vacantem
Steinfurto, VVestphaliæ oppido Caluini acade-
mia celebrato, euocatur Conradus Vorstius,
homo audax, & sui sensus & Gomaristis suspe-
ctus, certe Socinianismi ab iisdem accusatus.

Legi-

Legationem obiit Vtenbogardus, quod cum Gomaristis fuisset compertum, inquieti homines iterum Ordines monere, & orare neis, velut vnguis in vlcus immitteretur, præsertim cum Academia Heidelbergensis (Gomari partium ea erat) aduersus Vorstium dixerit 26. August. luculentum testimonium Heterodoxiæ in doctrina de Deo eiusque attributis, nempe & quantum esse Deum & compositum & mutabilem, ab eo defendi &c. Hinc iterum disceptatio multa & commotio oborta est de Vorstij persona ad 18. Oct. circa quod tempus Vorstius aduenit & ab ordinibus auditus Steinfurtum rediit. Alia disceptatio eodem tempore oborta est ob personas examinandorum in Classibus pro cura animarum, cum iussu ordinum nemo à cura illa depelli debuit, qui se cum Arminianis sentire affirmaret, quæ res a 21. August. ad Nouemb. 21. cum importunitate Gomaristarum dum tractatur ab Ordinibus demum Collatio Hagæ Comitis decernitur instituenda super quinque controuersis articulis, inter Denos & Denos Ministros aut Doctores ex vtraque parte legendos. Hi Ann. 1611. ad 11. Martij conuenerunt, vbi iterum dissensio oborta est ex personis, qui de parte Gomari se ingerebant titulo Deputatorum ad futuram collationem. His igitur explosis multo maior de forma Collationis est oborta discordia, ita vt Ordines dispererentur animis. Arminiani latentes blasphemias Gomaristarum in apertum produci volebant, at illi occultabant obnixè, & vt expe-
dirent se specie quadam, profitebantur à se credi & doceri quod Deus neminem condemnaret, nec statuisset damnare quæquam, nisi iuste propter propria ipsius peccata. Sed in his simplicibus, vt videbatur Sermonibus, vitus occultum tenebant, nempe futura ex vi Reprobationis cuique obuentura peccata, quod cum Ordines non aduiterent, utcumque eis acquirerat tanquam ritè de blasphemia purgatis. Denique Festus Hommius fuit in ea collatione os Gomaristarum, Adrianus Borrius alijque per vices Arminianorum. Interca è VVestphalia redibat Conradus Vorstius quem ad 27. Aprilis audiendum in collatione decreuerunt Ordines, ex cuius audicione iterum dissensio alia oboritur dum Remonstrantes eum recipiendum ad Cathedram censent, Gomaristæ reiiciunt, & vtrique pertinaciter proposito insistunt vsque ad eundem inflexio iudicio dimissum, & paulo post Collationi finis impostus, nim. suspensa sententia, nim. vt articuli in eo statu manerent, quo ante

collationem fuissent, Ministri in pace agerent docerentque suos sententias, scriptoque exhiberent per collationem proposita. Reliquam partem tantum turbæ circa Vorstij personam in Provincijs absumpserunt. Cumque exeunte, Ann. 1611. statuisset Ordines vt Collatores Hagenses, scripto statum controuersæ circa 5. articulos controuersos exhiberent, vnaque sua adderent Consilia pacis. Remonstrantes mutuam tolerantiam suggererunt. Gomaristæ vero iterum synodum (prædicatoriam) postularunt.

Speciosum quidem erat Gomaristarum Consilium, de Synodo, veruntamen prædicatorium, vt pote in quo, sub nomine honesto Synodi, conspiratio vnius factionis latere esset in aduersarios sententiam prædicatam. Itaque variè fuerunt Ordines affecti, audito vtriusque partis Consilio, adeo vt nihil statui posset. At peritacæ Ministri è factione Gomari non quiescebant, clamantes non solum 5. articulos in controuersiam vocari à parte Arminij, sed plures magni momenti, quo clamore obstrepero 3. Dec. commoti Ordines statuerunt, vt purissime doceretur in Scholis & Ecclesijs Euangelium nimirum 1. perfecta Christi satisfactio pro peccatis nostris 2. Iustificatio hominum coram Deo. 3. Fides saluifica 4. peccatum originale. 5. certitudo salutis. 6. Perfectio hominis in hac vita, omnia iuxta morem & traditionem in Reformatis passim Ecclesijs vsitatum habentibus. Sed id decretum emplastrum erat suppurationum vulnerum, partibus hinc & inde sem suam agentibus, & nihilominus decreto satisfaciuntibus, maxime tamen Gomaristæ tumultuabantur, & in populo schisma erat & secessio, capitibus singulis, quam elegissent partem sequentibus. Quin etiam Alemariæ ad arma deuentum est, cum Gomaristæ id egissent, vt Magistratum annuo, qui æquus fuerat vtrique parti, succederet amplius fauens Gomaristis, quam molitionem, plebs Venatori Ministro Arminiano fauens, vindicauit. abditato eiusmodi Magistratu à Gomaristis subintroducto, atque ita Gomaristæ causam suam commendare dum conantur, deteriores effecerunt, exilio consecuto. Alemariæ exemplum fecerunt est Roterodanum & c. At Amstelodami alijsque locis plurimis Gomaristæ Arminianos pepulerunt. Magistratus vero Gomaristas cernens treulentius agere, non paucis locis seueris edictis eos, vt turbatores compescuit, quod illi Arminianorum Machinatione fieri interpretari, multo

multo magis furebant. Inter hos tumultus demum alter princeps factionis Gomarus obiit Ann. 1612. ex hac vita, in cuius locum euectus est ad Leiden- sem Cathedrali Doctoralem Simon Episcopus Remonstraas, nuper Amstelodamopulsus ab ad- versa factione; Hinc iterum commotio inter Go- maristas consecuta est, peruenerat iam Schisma hoc in Ultraiectinam provinciam, & occuparat, Geldriam item ac Transfulaniam, & quidem in Ultraiectina Prou. ab Arminianorū parte circa Au- gustum mensem prævalente *Formula Regiminis Ec- clesiastici* ex mente Vtenbogardi Hagtensis Mi- nistri concepta est, cuius 4. & 5. Articulis cap. 2. videbant *Tolerantiam sententiarum de s. controversis articulis*, ut in Hollandia tolerarentur. Et simi- lia Neomagi, Bomelæ, Tielæ, Dauentriæ, Cam- pis, aliisque locis gerebantur, rationabilem Armi- nij doctrinam ut quæ Homines Fatis inuitabili- bus liberaret, populo ac Ministris libenter accep- tantibus, idcirco Gomaristarum factiorum sum- communis Consilij ex singulis Provinciis duos ablegat ad Generales ordines Deputatos, so- la fere Ultraiectina cessante Provincia, qui ordi- nes informarunt, & rogarunt, ut Synodi conuo- cationem diutius iam differre cessarent. Sed cum Ultraiectinæ Provincie deputati abessent, & Hol- landiæ ac VVest-Frisiæ deputati dicerent, se non satis liqui dis mandatis à suis Delegantibus esse in- structos quo ad Synodum, postulatam irritum ce- uasit. Legebantur tunc passim libelli ab utraque parte dissidentium editi. *Campana incendiaria; pressior Declaratio. Via director, & Mercurius*, ali- que, quibus partes aduersas eleuabant & deprime- bant ex animi sui sensu & arbitrio, ita ut compita, vici & domus perstreperent disputantium turbis, tanquam tubis & tympanis in bello. Cumque nul- lum malo huic finem repetirent Gomaristæ, ti- mētes ne plausibilitate doctrinæ aduersariæ oppri- merentur, post ordines toties tentatos, Consilio inito Guilhelmo Ludouicum Nassouium Frisiæ gubernatorem indaxerunt seu prece seu precio seu utrisque machinis, ut is Vtenbogardum Ar- minianum & Hommij Gomaristam, tanquam Principes factionum suarum accersitos induce- ret, ut ipsi met amice ac fraternè inter se despice- rent, an non via aliqua honesta componendi dissi- dij appareret?

Ad hæc Hommij fertur respondisse, si Remon- strantes in solis s. articulis hæc uis controversis uellent

stipere, nec ad aliud dogma Ecclesiarum Belgicarum con- uellendum se extenderent, facile dissidium Tolerantia mutua posse componi; Vtenbogardus rogatus quid de hoc ipso Consilio sentiret, respondit, se arbitra- ri alios articulos nullos à Remonstrantibus impeti. Ita- que hi Duum-viri assumptis tribus pro singulis factionibus personis moderatis, qui de hac pacis via transigerent amplius consularunt; quod con- silium Ann. 1613. 21. Ian. Ordines Collaudarunt. Ergo 27. Febr. Delphis Octo-viri adsūt, ubi *Mutua Tolerantia* sententiarum, quo ad 5. articulos tentata est: & Arminiani quidem confestim in eam con- sensere, Gomaristæ vero, primo de solis s. articulis tolerandis cautionem poscebant, deinde ipsam Toleran- tiam mutua circumscribi certis terminis iubebant, ita demum se consensuros in eandem. Condiciones au- tem erant hæc, ut sex capita Doctrina ab ordinibus Ann. 1611. 3. Dec. paulo ante memorata, purissime iuxta Euangelium per omnes Ecclesias Belgij iussa præ- dicari, Remonstrantes iuxta Confessionem Belgicam, & Catechismum Palatinam suamque Theses expressam exegerim, recipere se docturos, & contrariam eius sen- tentiam, que ex quibusdam Anti-thesibus Arminij Vorstij Bertij & Venatoris &c. proposita esset, a quo rejicerent ac damnarent. Has condiciones, cum non aliud agerent, quam ut Arminiani suos quin- que articulos tacite damnarent, & Mutuæ Tolerantia nomine à Gomaristis in seruitutem con- scientiæ concederent, Arminiani admittere sane non debuerunt, nec illos, ut admitterent postulare decebat. Cesserunt tamen pacis gratia Arminiani in cantillo, ne præfractè responderent, sed se cum reliquis Remonstrantibus agere uelle ea de re as- seruerunt. Ita Hommij & Vtenbogardus euo- cati ad Ordines, eisdem Delphis acta reulerunt, Hommij dicente: quod spes pacis affulgeret, si Re- monstrantes suam circa 5. articulos sententiam decla- rarent, quasi Gomaristæ tot Theses, tot libris, tot collationibus expressam, mentem Arminiano- rum nondum perspexissent. Idcirco facile ordi- nes insidias Gomaristarum odorati Vtenbogar- dum, se orsim audiendum censuerunt, qui Goma- ristam in h. itose agere, & Inquisitionem Nouam sibi assu- mere est conquisitus, ut ipsi ordines coram audissent ex Festo Homio. Quæ propter Ordines Gomaristis e- dixerunt; ut à postulanda huiusmodi declaratione desisterent, & tergiversationibus pacem aduenientem ul- tro, ne impedirent. Gomaristis autem ad huc perui- caciter

exciter apud ordines exhibentibus Theses illas, in quas Arminianos consentire, & Antitheses quas ab Arminianis vellent damnari, Ordines seuerè interdixerunt, ne aut typis aut manu expressorum, scriptum hoc cuiquam mortalium communicaretur. Et quia apud ordines quidam ab Ecclesijs aut synodo Deputatorum titulo ac officio fugebantur, ijque remoram paci iniicere conabantur, cetero Arminianis essent suspecti, & titulo & officio illo abstinere iussi sunt. Tantum valuit Arminianorum æquitas & causa, quamdiu per Iudices incorruptos & nullarum partium fuit tractata, visa est tunc ad apicem pervenisse Arminiana res cum hæc gerantur, nam ex hoc tempore obstinatione Gomaristarum, prætextu Declarationis istius vixit expetitæ & non impetratæ res Arminianorum reio ferti specioso titulo caperunt, & continuè, etiam in synodo ipsa, tergiversationis quo ad Declarationem suæ sententiæ criminatorem passi sunt, imo quasi Romanam Catholicam religionem sub articulis reducere conarentur, invidiose apud Perfectos Calvinistas, traducebantur. Quæ suspicio & criminatio multum Gomaristas, imo pene sola adiuvit, & præsentissimo exitij periculo exemit, Arminianos vero involuit vt sequens historia pandet.

Erat eo tempore in authoritate apud Angliæ Regem Iacobum I. Hugo Grotius vir eruditus, is cognita causa controversiarum, sive sponte suâ sive ab alijs, persuasus, ad Regem illum tanquam suorum Regnorum (vti volebat) supremum caput Ecclesiasticum & vicinarum Ecclesiarum oraculum seu proëpiscopum, vna cum Informatione de sententiâ Arminianorum & Gomaristarum scripsit literas suasque Regi, vt is se pacis arbitrium aut sua fore in *Tolerantia mutua* indicenda exhiberet apud Hollandos, præsertim cum aliter componi disidiû non posset, Rex negotium commendatum auidè suscepit, suasit, & Ordinibus scripsit.

Illi vero inter se discrepabant æque ac ipsi Ministri, de quibus componendis agebatur, Prævaluerunt tamen rationes eorum qui *Tolerantiam sciendam esse* censuerunt, atque ita demum in Hollandiæ ac West-Frisiæ urbibus A. 1614. 25. Iulij sancitum *Decretum Tolerantia mutua* est promulgatum, additis in rem quibusdam Scripturæ Patrumque sententijs, quas Gomaristæ confestim arrodere caperunt, atque per eandem ipsum Decretum, aiebant enim *Faussum Regiensem Episcopum inter alios citatum semipelagianum fuisse*, quo crimine etiam Ar-

minianos onerabant. Ea igitur ratione *Decretum* paci conciliandæ vel stabilindæ destinatum novam belli materiam suppeditavit, Triglandio Amstelodamensi, ex Gomari factione, Ministro, vt *Decretum* typis oppugnaret, Vrenbogardo contra vt adversus Triglandium defenderet, quem rursus Triglandius egregius Calvini, Beza, Zanchijque & similium Gomaristarum hyperaspistes, refutavit. Cum igitur *Decreti* vis infirmari videretur A. 1615. Septembri & Octobri mense laboratum est, vt quamplurimi sua ei nomina subscriberent, quod pars præstitit, pars autem alia zelosior refugit, vt igitur etiam hi aliqua authoritate ad subscribendum inducerentur, 21. Dec. ad singulas classes *Decretum de Tolerantia mutua* transmissum est, & vt subscriberent Ministri fuit mandatum, adiecto alio *Decreto* quo permittebatur, vt in *Ministrorum* vocatione, Item *seniorum* electione eo liceret *vti* ordine, qui A. 1591. constitutus fuerat, sed quibusdam *recusantibus* parum acceptatus quod Ministri imperium Ecclesiasticum civili Magistratu extortum inique, nolent ad eundem vel in parte reuolui, vt pote *Scorpionum Apocalypiticorum* è numero *habentium coronas aureas super capita sua*. Erat quippe illo *Decreto* sancitum vt electio prædictorum fieret per 4. è Magistratu civili, & 4. de presbyterio personas.

Hæc decreta iterum perplexos reddiderunt Gomaristicam manum, quæ tot à Deo sollicitata ad sanam mentem medijs ijsiq; urgentibus, satis ostendit ipso facto quod ore negabant se *Dei gratia posse resistere & acquiescere*; etiam sibi, in tot blasphemis sententijs contra Deum, gratiam abundè ministrari &c. sed libertate arbitrij, odio in partem aduersam, *inflammati à gehenna rota*, Deputatos ex singulis fere, in quibus adhuc dominabantur, classibus, ad Ordines ablegarunt, vt gravamina Deputantium, circa huiusmodi *Decreta*, scripto comprehensa publicè in Haga Comitibus exponerent, atque eorundem Introductionem deprecando omnino recusarent. Invenere tamen ante propositionem, cuius causa venerant, effugium quo Classes yti possent ad declinandum onus transmissorum *Decretorum*; nempe quod diceretur, illa nondum plena solennique omnium Ordinum approbatione esse approbata, & ideo vim Legum minime obtinere. Latum inventum. Interea tamen contra *Decreta* aliquot locis tumultuatum est à Ministris Gomari, imprimis Harlemi, quibus locis ad communionis separationem peracenerunt Factionis. volebant

Ecc

caim

enim Ministri in consortium vocandorum Ministrorum ac Presbyterorum admittere Magistratum civilem, & qui ipsimet non aliunde in Hollandia à nullo alio nisi civili Magistratu, & quidem per Rebellionem excitato, erant admissi, nunc ingrati suos in creatores & patres ea potestate excludebant. Ita ut iam tum Apollonianum schisma, de quo seq. libro agitur, natum serperet. Ego igitur modo Hollandia in exactum ac patens schisma abiit, conventibus contra conventus celebrandis dissilla. Exemplo sit Haga Comitum. Cum iste Gomarista Henricus Rosæus, quod Decretis illis, prætextu conscientie, obtemperare recusaret, suspensus esset à munere, Ministerij, & adherentes deinceps in pago Risvicensi vicinorum, mox iterum in separato templo Haga religionis suæ exercitium per commodato acceptos Ministros usurparunt, autoritate quorundam inter Ordines, in quibus erat etiam Mauritius Princeps Arausicanus & Comes Guilielmus Ludovicus Nassovius, qui incertum quibus causis moti, sine arbitrij libertate usi, & uti Mauritius assensu est utilitatis intuitu à Remonstrantibus declinarunt, & pondus animumque Gomaristis addiderunt. At è Remonstrantium parte stabant alij, in primis Advocatus Hollandiæ, qui partem eam sæpe fideliter adiuvit, effecitque, ut punitis ob Decreta non recepta, cum appellarent supremam curiam, curiæ protectio negaretur.

Annus inter hæc agebatur 1616, cum ad Amstelodamense præpotens emporium Hollandiæ, Decretis illis obnoxium, mense Aprilis missus est Hugo Grotius cum quibusdam qui sua eloquentia senatum induceret ad Decretorum dictorum receptionem. Is audito Grotio, quod ad Decreta illa suam non accessisset suffragium offensus, respondit se in sua quinquagenaria (grandis scilicet ætatis, et quam multi in Senatu præsentibus antecellebant) religione velle persistere, nec Actis ab Anno 1611. usque ad huius anni 18. Martij assentiri, donec legitime Synodi convocatione con troveriæ Religionis componerentur. Fuit hoc alterum grande pondus, quo Gomaristarum factio invaluit. Succedente deinde Anno 1617. Arminiani secundam Remonstrantiam Ordinibus obtulerunt, in qua suam causam è criminationibus Gomaristarum eximebant, adversarios Fatalismi & aliorum criminum reos agebant, mense Martio Gomaristæ autem quæ sitis extra Belgium prope & procul suffragijs & auxilijs, per suos in

Fatalismo sodales Ministros effecerunt etiam hoc ut Iacobus Britanniarum Rex, 20. Martij datis literis Ordines hortaretur, ut demum positus inter se discordibus affectibus partium turbationi Ecclesiarum remedium afferre mutarent, præsertim instante magno illo syncerissimo, & mysterio quod in Germanico Imperio tunc moliebatur Calvinismus, qui & Imperium illud penitus diripere & sibi veodicare iam constituerat & eic. Ita primum à Corona & Regno Bohemiæ & Hungariæ Austriaca Domo steriora erat attenturus, si fortuna faueret. Horum pars magna erant & ipse Britannus & inter status Hollandiæ non pauci, qui Consilij, directione, & ope Magnum illud miraculum erant patraturi, quo Papiasmus ex toto orbe terrarum erat profugandus, omnesque Monachi & Ecclesiastici maxime autem Jesuita Bohemorum rusticorum Hussitici, tribulis (ita enim sculptura arca & typo ipsi expresserunt Calvinista) in infernalem orbem & latebras æternas, erant compellendi, Imperator vero Romanus penitus, sub aquila specie explandus atque ad hospitium crevisiarum, sub panis & perna signo ablegandus in exilium. Eorum statu Regis Iacobi auctoritati accessit Mauritij principis, (qui etiam ipse Consiliorum in Germania erat director) voluntas, quæ utpote potentis Gubernatoris exercituum, erat gravis. Virisque Zealandorum accessit Oratio & Legati ad idem Continentes, ut nimirum Nationalis Synodus cogere, qua uti Ordinario medio per Spiritum Sanctum proposito, (ita enim carrant Gomaristæ ipsimet, quod notare poterit Catholicus) via tandem ad pacem Religionis sternatur, non solum Ecclesijs, sed multo magis civili statui profuturam, ob eas quas memoravi causas. Dum tractatur, disceptatur de talis Synodi, vel componendæ litis per aliam viam negotio, rumor inceebuit, Synodum eiusmodi (utpote Dictaturam Pontificiam vel Conciliorum iam pridem damnatorum auctoritatem restituendo) à Libertate Provinciarum multum detrahendam, & Ministris verbi septem daturam, cum unaquaque provincia habeat ius supremum de Religione statuendi, prout ipsi visum esset. Indignum esse hanc libertatem alijs provincijs subiugari, imo armis se præcipiatur eam esse defendendam. Hinc factum est, ut nonnullarum Civitatum Rectores, decreverint circa 4. Augusti conspirando milites conturbare qui nec Ordioibus, nec Mauritio, sed sibi solum, essent obstructi iuramento, & his libertatem suam esse tutandam. Factum id Ultrajecti, Leidæ, Harlemi.

mi, & alijs locis compluribus, ita ut Ordines & Mauritium ea res sollicitos, teneret, qui omni ope adhi sunt, ne quid Resp. detrimenti caperet, in tam propinquis Imperij Germanici turbis dirigendis occupanda. Adiuvit Ordines Dudleyus Carletonus Legatus Britanniarum Regis, cuius orationem 6. Octobris habitam nacti Arminiani, quod Gomarum redivivum spiraret, Libello edito refutasse narratur. Generales vero Ordines ut famosum damnasse, etiam Joannes Casimirus Junius filius Francisci Junij refutandum assumpsisse traditur mense Decembri, & uti sibi persuadebat, exanimavit. Itaque tandem ad seq. Anni 1618. Cal. Maias Ordines Synodum Nationalem instituendam decernunt, simulque Leges constituunt, secundum quas, & convocatio fieret, & ipsa Synodus dirigeretur. Et quoniam Gomarista sibi solis diffidebant in Arminianorum congressu, ut eos multitudinem capitum in Synodo superarent, nec quenquam Remonstrantium in Confessum admitterent, vincerentque certissimo, ex vicinis Regnis ac Provinciis Theologos, suæ farinae & mentis elicerunt ad Nationalem Synodum, nempe Anglia, Scotia, Gallia, Germania, cumque quidam ridicule rogerent, ut eadem opera Oecumenicam Synodum seu Generalem indicerent, Responderunt id quod, inter omnia huius Synodi causa dicta, sapientissimum fuit, nimirum: INCERTISSIMUM ESSE AN ET QUANDO SYNODUS OECUMENICA CONVOCARI POSSIT (nempe a Calvinistis) HANC NATIONALI QUASI OECUMENICAM ET GENERALEM FORE; (addo forte & ultimam uti prima fuit, ea siquidem evenerunt, ut ipsomet & piguerit & pudberit esse vel hanc primam celebratam) CUM EX OMNIBUS FERÉ REFORMATIS ECCLESIS DEPUTATI SINT EIDEM INTERFUTURI. quæ verba ab ipsis Gomaristis typo edita, tanquam Monumentum æternum adversus se ipsos conscriptum, singulariter noto. Cum illis parenter & ingenuè negent se esse Catholicam Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam secundum Scripturarum elogium de Christi Regno nimirum, ut patet ex Actis ipsiusmet Synodi. Universa Calvinianorum Ecclesia congregata in Spiritu Ursini & Gomari, complexa Belgium cõfœderatum, Angliam, Palatinatum, Hassiam, Helvetiam, Nassoviam, Genevam, Bremam & Embdam, dixitque sententiam, quam nec Helveti, nec Angli, nec Hassi, nec Palatini, nec Genevates per omnia amplectuntur.

V. Acta in Synodo Dordracena à die 13. Novẽb.

sessione 1. An. 1618. usque ad sessionem 145. die 9. Maij An. 1620. edita sunt Dordraci An. 1620 in folio magno 276. paginis, quibus altera pars Dogmatica subijcitur, complectens Iudicia Theologorum Provincialium super Quinque Controversis Remonstrantium Articulis & hæc paginis 319. absolvitur. Horum epitomen brevem do ex ipsis Remonstrantium & Gomaristarum Actis concinnatam, ab ipsis Remonstrantibus initio Actorum suorum in Prælatione præfixam, Hiscæ verbis:

IV. Synodus convocata est, in qua ipsi qui non tantum nobis nostrisque studijs in patria nostra directè atque ex professo semper adversari fuerant, sed tantum non inimici ac capitales hostes nostri utramque paginam fecerunt. Horum iudicijs vellemus, nollemus, stare aut cadere oportuit causam nostram. Ab his citati sumus, coram his iudicibus causam dicere iussi sumus: Et hi sunt illi qui nos pronuntiarunt, non reos tantum, sed etiam *convidios corrupta Religionis, scissa Ecclesia unitatis, gravissimorum scandalorum, & intoleranda perniciosa adversus supremi Magistratus publicata in Synodo decreta & adversus ipsam* (eniceur Theologorum) *Venerandam Synodum*. Hi sunt illi qui à Rectoribus novis auxilia implorant *ut turbulentes & inquietos spiritus* (quos videlicet ipsi designantur sunt) *compeçant, & Synodica decreta auctoritatis sua calculo adiecto stabiliant & immota ac perpetua reddant*. Et ecce successum. Non multo post, Remonstrantes citati aut silere iubentur veluti muti canes, aut exire patria cum vxoribus liberisque. Ceteri ferme ducenti ad eorum exemplum æterno exilio mulctantur, aut prodigioso silentio in libera patria adstringuntur, & ne quid odio desit publicantur edicta, ne quis eis vel terentium suppeditet, quo vitam miseram in exilio tollerent, inediaque molestiam & mendicitatis infamiam evadant, quingenti florent in singulorum Remonstrantium Ministrorum capita statuantur, sub ætæni carceris pœna, redire in patriam vetantur, aliaque Albanæ scuitæ damnata, exempla in usum reuocantur.

Hæc ratione actum nobiscum est, Christiane Lector, & causa nostra inaudita, indefensa, damnata est ab adversarijs nostris, quodque dignum admiratione est, eorum criminum, quorum ipsi sibi non possunt non esse conscij, non tantum *rei* sed & *conuicti* pronunciamur: Quis credat utique si reos tantum nos dixisset Synodus, speciem aliquam habuisset

Ecc 2

sep

Et oratio iudicium. n. suum dixit. Synodus videri potuisset. At conuictos nos fuisse quo colore, qua specie, qua verisimilitudine dicitur? certe non alia quam qua olim Nero Imperator Christianos *generis humani hostes conuictos* pronuntiavit; etenim ne pugnatum quidem aut in arenam descensum, aut ad manus vnam ventum fuit. Quippe a collatione usque adeo abhorruit semper Synodus, ut ne vocem quidem ipsam in primo nostro adiectione sustineret, sed eius speciem omne protinus præciderit. Quoties optauimus, rogauimus, orauimus, obsecrauimus ut iusta aliqua Collatio spectante & audiente Federato Belgio toto institueretur? quam enim sepe numero petiimus utrumne in tanta doctorum hominum conuicia quisquam esset, qui errorem nobis nostrum ostenderet & erroris nos si posset conuinceret? At semper repulsam passi sumus, ad iudicandum quippe non ad disputandum se conuenisse aiebat Synodus. Et hæc cum palam publice que gesta sunt, conuictos tamen nos pronuntiare Synodus ausa fuit: itane ergo sine sole, sine puluere, sine conuictu victoria reposita est, & nos, quorum animis nunquam vlla argumentorum machina, vlli rationum ardetes ad moti sunt, sed qui solo tantum Authoritatis bruto fulmine percussi fuimus, etiam cum multante conscientias rationibus optimis munias obtenderemus, & ut illis satisfieri posset humiliter peteremus, nihilominus conuicti sumus? De defecto si aduersarum audire nolle, est eum vincere, si se vitro submitti mus & victi sumus, si conuictentiam aduersarij reluctantem sola auctoritate premere atque urgere est eodem conuincere, manus damus, & quia ita placet Synodo, conuicti sumus.

Quinimo, habet etiam quo suam siue supinam in concordiam, siue stupidam credulitatem regat Petrus Molinæus cum in præfatione libri sui, quem Anatonem Arminianismi inscribit, nos non rationibus non argumentis (id est, colorem habuisset) sed solo aspectu Veneranda Synodi (qua nullam aliam à multis retro sæculis, nec celebriorem nec sanctiorem nec Ecclesia viliorem fuisse, nimirum turpi & mercataria oratione adiecit) sic perturbatos fuisse scribere non dubitat, ut cum ante Synodum gestiremus in pugnam & certamen anida poscere videremur, conuersariibus ceperimus *quædam lucem quo odisse & moras neclere, & quidem percussis sine metu sine conscientia*. Habet inquam quo pudendam hanc & hyperbolicam calūniam aliquatenus obtegar; Alioquin certe indig-

nuno nomine atque famâ suâ fecit, vir alioquin non ineruditus nec incelebris quod limen libri sui prætexuerit tam à vero aliena præfatione, tanquam si in Epicuri aliquo intermundio aut ignota regione per somnum sibi narrati audiuisset ea, quæ in Belgio & in Synodo gesta sunt. Equidem nisi leuiter fidem abhibere maluisset, quam molesta veritatis disquisitione se fatigare, fieri vix potuisset, ut vir prudens in vicina Gallia tam turpet & scædum errorem errasset. Quamquam si omnino certam detrectassemus moras nexuissimus, quid in eo reprehensione dignum fuisset? An aduersam partem iudicem non agnosceret, ab aduersa parte leges loquendi & silenti accipere nolle cum manifesto detrimento bonæ causæ & veritatis diuinæ tergiversari est & *quædam*? Ergone Arhanasium qui nunquam non geltebat in pugnam contra Arianos, & certamen aude semper poscebat, cum Tyri in concilio Arianos aduersarios suos rerum potiri videret & subito inde aufugeret, solo aspectu venerandæ Synodi perturbatum fuisse diceret Molinæus & *quædam* cepisse? Et Paulinum Episcopum Treuirensis tergiversatum: cum Auxentium Episcopum, & socios eius sinistra quædam contra se moliri intelligens subito Mediolano ex Concilio discederet? Et Cyrillum, Hilarium, Chrysostrum, Nazianzenum aliosque moras neclere voluisse eod quod ad Concilium vocari venire recusarent? Quis credat Molinæum, cui calamus, & lingua in conuictionibus in libris & nusquam non præriunt ac gestiunt ad pugnam contra Pontificios, tam erecti tam constantis animi futurum, ut certamen declinaturus non sit, si Pontificios iudices agnosceret & ex ipsorum arbitrio causam suam agere iuberetur, etiam si sale & felle redudat, quibus conspuere aduersarios qualibet occasione ipsi non foret difficile?

1. Sed misso Molinæo, quorum, amabo, criminum rei & conuicti dicimus? Primum *Corrupta Religio*, ait Synodus: itane mihi scior? An Religionem corumpunt ij, qui ferreas & fatales Parcarum tabulas expunctas cupiunt ex Ecclesia, in qua libera Religio locum habet? qui affirmant Deum fideles solos in vera fide perseverantes: aut morientes ad salutem elegisse, infideles vero solos reprobasse, pro omnibus Christum mortuum, omnibus vocatis sufficientem gratiam dari ad erudendum, fidelibus vero etiam singulare Spiritus S. robur subministrari, ut ad finem usque contra omnes tentationes in fide perseverare possint: sed tamen, fieri nihilominus

minus posse concedunt, ut vocati diuinæ vocationi moiem gerere præfracte nolior, & fideles à gratia & salute æterna propria sua & vincibili culpa excidant? Ergone corculum, medulla, vita & anima Religionis est Fatum, tam durum tam horrendum tam ab omni recta ratione alienum, quo statuitur absque propria & vincibili contumaciæ intuitu maximam generis humani partem à Deo reprobam esse ad æternum & lamentabile exitium, ceteros vero sine fidei aut obedientiæ propriæ respectu electos esse ad gloriam immortalem? Hos perire non posse vili peccatis? Illos saluari non posse? Neutros plus boni facere aut mali omittere posse quam faciunt aut omitterunt? Illos non posse credere cum vocantur. Hos non posse non credere? Bone Deus! quo non recidant mortales cum vitam & animam Religionis in eo collocant, quod Religionis omnis præsentissimum venenum est? Rectius multo indicat Sutorius, cum Tiberium Religionum negligentem fuisse ait, eo quod peruersionis plenus esse omnia futo agi. Etenim quis locus virtuti & vitio, obedientiæ & inobedienciæ, præmio & pœnæ? quæ vis monitionum, hortationum, promissionum, comminationum, obtestationum, querelarum, precum, votorum, desideriorum, gemituum? quæ necessitas, quæ utilitas laboris, curæ, studij, spei, merus, zeli aliorumque piorum conatum, vbi fatalis & incurabilis actionum & euentuum omnium necessitas æternæ legelancita dominatur atque obtinet? Sed quid mirum corruptæ Religionis nos accerfi abistis Fatalitatis Manichæicæ adsertoribus, cum eiusdem criminis Nero olim strenuissimus Fati adsertor, Christianos homines sanctissimos in simulauerit? cui ob *provinciam à laconibus his qui nouam humano generi superstitionem inuocabant* (quo nomine Christiani designabantur) purgatum monumentum in Hispania erectum fuit: ad curus forte exemplum Synodus hæc Dorstaceæ, quæ prima horrendam illam Fatalitatem solemni ter adiceret aulâ fuit, aureo suo nummo incribi iussit, *Religione adserta*.

Eiusdem commatis est, cum *scissa unitatis Ecclesiæ* rei ac conuicti dicuntur: Quomodo enim qui nec ipsi secessimus, nec secessionem fieri laudamus, nec factam probauimus, sed conata, unitatem, pacem, concordiam & tolerantiam mutuan, quamdiu causa cognita nondum erat, & spes correctionis apparebat, maioraque incommoda vitari poterant, vstrum, inculcauimus, suauimus, colui-

mus, laudauimus, schismatis rei adeoque conuicti esse possumus? Equidem quod olim Elias Achabo dixisse legitur, idem & nobis hic dicere liceret. Non nos sumus qui Israel em turbauimus, sed tu O Synodus & qui tecum conspiratunt contra seruos Iehouæ: Vos enim ijsuistis, qui doctrinam nostram multo ante damnastis & intolerabilem iudicastis, qui reclamantibus nobis secessionem hic illie aut fecistis ipsi, aut silentio vestro approbastis. Adhuc que manu vestra signatis secessionem faciendam & unitatem Ecclesiæ scindendam esse iudicastis, aliaque eius generis plura coram Sole ipso fecistis: Fietine potuit, ut sine scrupulo ac morsâ esset conscientia vestra, cum litius criminis, reos ac conuictos nos pronunciareris & manu vestra signaretis?

Sed & quo iure ac merito rei agimur *grauissimum scandalorum*? Etenim à scandalis vsque adeo abhorremus, ut si vel imprudentes cuiquam vllum ante hæc dederimus, scandalum non dubitemus etiam num rogare atque obsecrare, ut illud nobis propter D. Iesum condonetur, quippe qui nouimus quam leuiter sententiam in eos ferat humani generis Seruator, qui minimò alicui fideli offendiculum dederint. At si qui scandalum ex bene factis nostris acceperint vitio suo, eam culpam præstare nec cupimus nec debemus. Etenim efficere ut, cum recte agamus, nemo malus offendatur, nec potestatis nec officij nostri est. Quod si vero à nobis scandala grauissima data sint, necessum est ut aut vitam, aut doctrinam, aut docendi modo ea data dicantur: vitam quod at tiner, eam laus tibi sit D. Iesu, inculpatam viximus; Doctrinam proposuimus, quam in conscientia verbo Dei consentaneam & rationibus optimis nixam, & ad pietatem serio colendam summe vtilem ac tantum non necessariam duximus. Modum vero in docendo eum seruauimus, ut neminem læserimus, nemini eo quod dissentiret à nobis, molestram faces suerimus, nulli a gre fecerimus, abstinentes à personis rem ipsam tantum cum mutua tolerantia oblatione semper tractauerimus nisi postquam necessitas nobis ab importunis aduersarijs imposita est auctores ipsos auctorumque nomina & scripta in lucem profertendi: qua tamen in re tantum abest, ut peccatum à nobis sit contra auctores illos & scandalum alicui iure datum, ut contra potius ex mente scopo & voto auctorum ipsorum, notum fecerimus id, quod illi notum esse & perspectissimum omnibus, librorum suorum publicatione, voluerunt. Et quousquisq; tandem of-

sensus fuit, qui modo veritati clara paratus fuit cedere & nec seruiliter mancipatus fuit sententia suae nec arctioris aut castigatioris vitae legem sibi dari ægretulit? Quot hominum millia imo myriades reperitur, quæ scandalum illud diuinissimæ Religionis Iesu Christi, Stoicum inquam illud aut Manichaicum Fatum Religioni omni inimicum, animose impugnatum & tantum non iniunctis argumentis labefactatum & conuulsum gaudent, qui veritatem & vim pietatis orbi nostro restitutam sibi gratulantur, & Deo perpetim pro tam singulari beneficio gratias agunt?

4. Vltimum crimen & omnium teterrimum est, *Intoleranda peruicacia*, sed quod facilius intreatur, quam probatur, & is qui Christiano genio ducitur, Deo potius soli *x. p. d. i. o. v. v. s. y. e. i. u. s.* eius iudicium relinquat, quam sibi confidenter arrogat, imprimis in negotio Religionis, cum conscientia, cuius reuerentia maxima est forum agitur: charitatis est, non posse peruicacia culpam dare ei, qui conscientiam rationibus suis mutam nudæ authoritati obtemperat: Prudentia est, non velle crimen intendere quod probari non potest, quodque eodem iure contra intendente regerere licet. Sed contra quos crimen peruicacia commissum esse dicit Synodus? Contra Delegatesne? Atqui decretis eorum lubentes volentesque semper paruimus, nisi cum superior iudex aut conscientia verarent: Conscientiam tamen nunquam nisi rationibus optimis instructam ac suffultam reuenter obtendimus: Authoritati soli conscientiam cedere nec posse nec debere constanter adseruimus: Lex n. non sibi soli conscientiam suam æquitas debet, sed ijs etiam à quibus obsequium expectat, vti Tertullianus inquit. Contra Synodum vero eorum peruicacia, nedum intoleranda locum habere potuit? Synodus enim vti potestatem & authoritatem in aduersam partem inepte & non nisi superbe sibi arrogat, ita parum Christiane, atque immerito, peruicaciae crimen impingit ijs, qui conscientiam, licet forte etiam onem prætexunt & scrupulum quem sentire se affirmant, eximii sibi petunt priusquam obediant. Eruditi oportet eos, qui erudiri cupiunt & quos conscientia suæ rationem habere nulla verisimili ratione negari potest, priusquam authoritatis contemptæ rei agi possunt. At conscientiam obtendentes rationibus multis nixam erudire nolle, & nihilominus peruicacia arguere, eorum est qui dominatum in conscientias aff. dant & spiritu Antichristi ducuntur.

Ex hisce luculenter apparet, eadem profus ratione nobiscum egisse Synodum Dordracenam, quæ præcedentibus sæculis agere solebant ijs qui aduersarios suos oppressos cupiebant, & qualia fere soleant esse iudicia quæ pars aduersa format, vbi tribunal nata est, ex quo sententiam de aduersario dicat. Suspecta merito videri debent omnia ista, siue testimonia, siue acta siue iudicia, quæ aduersarij ferunt aut commemorant. Fieri. n. vix potest, vt non ex affectu illo ex quo proficiscuntur vitium trahant. Quare non est quod nos etiam ex Synodi huius iudicio æstimes, Christiane, Lector: Sed si nos propius nosse vis nosmet ipsos audi.

Vidisti sinceram relationem Synodi Dordracenæ, quam si utriusque partis Actorum cõtuleris & Tomos fere xxx. alios inter dissidentes editos cõtuleris, sinceram deprehendes, nunc obiter quæ seruita sint Synodum facile perspicies, nempe oppressos esse Arminianos non vi doctrinæ sed conspiratione potentia, fecitque Synodus illa Arminianis, quod falso de Synodis Catholicis hæretici solent queri. Videant Acta Tridentini Concilij, quanta securitate, quanta humanitate, citavit protestantes, expectavit morantes?

V. Quæ Synodum Dordracenam secuta sint in ipsa Hollandia ex parte Gomartistarum facile perspicies Lector. nam, vt Philistæi Sampson capti & in molam tetrufo, biberunt super Arminianis vinum in iucunditate animæ suæ, & quæ victores captis hostiura castris facere consueuerunt, à Gomartistis minime defuerunt. At ex altera parte Arminianorum iniquè oppressorum, quis fuerit sensus & que Lector peruidebit, si æstimare nouerit, quis soleat esse sensus eorum, qui à Iudicibus non competentibus, neglecta iuris forma oppressi sunt. Cælum quidem miseri illi & terram inelamabant, sed cælum eis desuper erat abneum & terra ferrea, quoniam, etsi non tam prodigiosè vt Iudices & oppressores eorum offenderunt cæli & terræ Dominum, offenderant tamen in alijs multis abominationibus Caluini & Lucheri, & fecerant sibi ex illorum instituto vitulos aut eos, derelicta via patrum suorum. Ex hac ipsa tamen oppressione, Calvinianorum à Calvinianis, Remonstrantium à Contraremonstrantibus Arminianorum à Gomartistis permixta, Dei iusto iudicio magnum bonum Ecclesiæ Catholicæ est enatum, siquidem vnus oppressorum Bernardus Duinglo, offensus iniquitate Gomartistarum, collegit barbara, crudelia. Ne-

roniana & Iuliana facta & consilia Gomaristarum, quæ vel in Belgio, vel vllibi patrata compererat, eaque typis mandauit, ex quibus multa de Genio Calvinismi innotuerunt, quæ etiamnum Catholicis sunt adiumento, tum ad canendum, tum refellendum versus ac calumnias Calvinisequarum. Inter quæ etiam est, cruentissimum Consilium Prædicantis Gogienfis in Cluiua & facinus, qui & ipse erat de secta Gomaristarum, & Senatam Catholicam vna cum consule & multis per Cluiam Catholicis, falsis à se confectis literis & manu Textoris Gochienfis descriptis, conatus est præcipitare in supplicium infame, nisi Deus

abominandam Traditionem, in oculis Calvinistarum, producto ipsius Prædicantis autographo è stamenti lecti, (vb id Textor abscondit) conuictam dedisset, perpetuam infamiam Ministerij, quam Magistratum Calvinianorum, qui tam patenter deprehensam Proditionem, nunquam punierunt, sed, verbi Ministerium ad aliam Cathedram promouerunt, miserum textorem qui instrumentum duntaxat fuerat nequam ministri, perpetuo carceri addixerunt. Videri potest ea Historia prolixè descripta in Schola Iesuitica P. loci Kedd aduersus Hulsium Gomaristam VVellialensem, Colonia typis impressa.





EPILOGVS LIBRI IX.

HAbes Lector Calvinianæ doctrinæ de prædestinatione & annexis hoc libro medullam extractam, & schisma Arminiano Gomaristicum depictum, ex ipsis met eorum Actis, ubi veriloquuntur. Superest aliud Vedelium inter & Apollonium schisma de Ciuiliū in Reformatos Ministros & eorum Ecclesias Magistratum Iurisdictione exortum, quod Liber X. tum schismata Angliæ recentia quæ XI. Liber denique Germanica Calixti, Hulsemannique Lutheranorum, quæ XII. Liber poterit complecti, si continuatore vita superstes operam scribendi permittat, Claudite iam pueri riuos sat prata biberunt.

F I N I S.